
VITT. EMANUELE

THOMÆ
BARTHOLINI

ACTA
MEDICA ET PHILOSOPHICA HAFNIENSIA

Ann. 1677, 1678, 1679.

Accesserunt figuræ æneæ.

VOLUM. V.










HAFNIÆ,

Sumptibus PETRI HAUBOLDI Acad. Bibl.
clɔ Iɔc LXXX.



Index Obſervationum Voluminis V. Actorum Hafnienſium.

14. De

40. Pu-

64. An

90. Ar-

118. Spi-

In Appendice.



THO-

α. & ω.

TH. BARTHOLINI

Actorum Medicorum & Philoſophicorum Hafnienſium

Ann. 1677. 1678. 1679.

Volum. V.

Pars I.

De Obſervationibus Raris Medicis & Philoſophicis.

I.

Singultus & Sternutatio mirabilis.

NUnqvam ſimilem affectum memini vel obſervaſſe vel legiſſe. Virgo Hafnienſis, Parentibus primariis nata, annorum XIV, temperamenti pituitoſi, debellata feliciter febre tertiana, ſingultum vehementer moleſtum experta non ita pridem eſt, in qvo expugnando operam perdidimus qvotqvot, à Magno Parente rogati, conſilia dedimus. Inuſitatam enim faciem induit ſingultus, miſere tenellum corpus excrucians. Nullas inducias conceſſit vixq; deglutitioni tempus indulſit. Quandoq; ceſſare videbatur. Sed ſingulari metaſtaſi ſternutatio ſuccedebat, pereñi motu ægram exagitans, tamq; vehemens, ut lecto excuteretur, niſi ab aſtantibus impedita fuiſſet. Vitium in œſophago hærere, tuberculo qvodam impedito, ſuſpicio fuit, qvia, qvæ exhibe-

hibebantur, difficulter deglutiebantur. Sternutatio verò unde? Divinare non facile fuit. Vermes in abdomine an qvidqvam huc contribuerint, inficiari non ausim. Magni illi satis per enemata expurgati. Omnibus tentatis, nihil profecimus, qvanquam thecas plerasq; Pharmacopolii evacuaremus. Aliquot menses protracti inter hæctormenta. Leniri subinde malum videbatur, sed recurrebat, donec tandem corpore prorsus expurgato, variisq; tam Galenicis quam Chymicis medicamentis præparato, solo spiritu æruginis ab Empirico exhibito, convalescere inciperet. Non tamen postea prorsus immunis à levibus paroxysmis fuit.

Haud absimilem affectum in puella alia Visitatoris vidimus, quam hystericam dixisses, sed angustia cordis anni ferè decursu perseverans in pectore malum hærere persvasit.

II.

De filamentis in urina.

Ad *Thomam Bartholinum.*

UT salvum te & incolumem hæ salutent, animitus precor, cum ulteriori voto, ut sospitem Te DEus servet in annos multos & longævos, & pax vobis & nobis affulgeat. Ignosce autem qvod tuos circulos turbem hac scriptione, fit ea partim ut certior fiam tuæ valetudinis, partim ut judicium tuum petam qvoad inclusum casum. Amicus meus à multis timidus factus, & tristior, indefinenter metuit renum putredinem & ulcus, qvod tamen non suspicor, qvod nullum adsit signum, puto potius oriri illa filamenta à chylo & semine in subjecto eusarco, sangvineo,

neo, ſcorbutico. Quæſo tribus ſaltem lineis vel verbis, ut dicitur, breviter reſponde; & ſi putas, exime timorem & curam optimo Viro, ſimulq; expone, an inſiſtendum illis remediis, quibus hactenus utitur. Vale. Francofurti 23. Oct. 1677.

T. T.

J. D. Horſtius.

Vir 53. annorum, cælebs, craſi corporis ſangvinea calidâ & humida, conſtitutione totius ſatis robuſtâ præditus, fluxione qvâdam ſiniſtri cruris, catarrho item oculi ejusdem lateris ante annos 22. correptus fuit, quibus tandem debellatis plenarie convaluit. Hanc verò convaleſcentiam raucedo ſecuta eſt qvæ adhibitis licet multiplicibus Celeberrimorum Medicorum pharmacis, Galenicis æq; ac Spagyricis, Mercurialibus etiam, aliisve ſine levamine remanſit: patiens tandem tam vario medicamentorum uſu abſtinens, per aliqvot annos hucusq; raucedinem ſentit mitiorem. Interea vero in ipſius urinâ aliquot abhinc annis filamenta quotidiè conſpiciuntur fundum petentia & ibi conglomerata, ad motum matulæ ſe dividentia, quæ interdum dolorifica, non tamen diu durans, inſecuta eſt urinæ ſuppreſſio, potiſſimum poſt errorem in victu commiſſum, & majorē vini ingurgitationem. Filamenta alias per ſe nullum inferunt incommodum, excepto, qvod urina interdum juſto tardior, tandem cum impetu reddatur filamentis exitum qværentibus. In matulâ rariſſimum & paucum quidem ſubſidet ſabulum tartareum rubrum. Urina ipſa non fœtet, nec unqvam purulentam exhibuit materiam; qvam primū autem nimiâ vini ingurgitatione in diætam impingitur, communiter dolorifica illa ſeqvitur urinæ ſuppreſſio, abdominisq; in-

 flatio

flatio & diſtentio, qvæ tamen ad uſum clyſterum & laxantium evaneſcunt. Dein non obſtante, quod aluus duplâ quotidie gaudeat laxatione, attamen patiens interdum flatuum cruciatus experitur præprimis in regione lienis & ſiniſtri hypochondrii, qvo ad caput valet, appetitus qvoqve cibi & ſomnus naturaliter ſeſe habent. Renum & lumborum nullum ſentit dolorem. Ipſe eſt valde laborioſus, & ſummo mane lectum relinqvit. Juvenis adhuc & ſequentibus primis annis, peregrinationibus fuit deditus, pauciſſimam è contrario vitam egit ſedentariam. Viginti abhinc annis ſimplicem ſaltem levemq; paſſus eſt gonorhæam, qva brevi curata nihil amplius tale hactenus ſenſit, ſed quo ad omnes corporis functiones plane ſanus & incolumis vivit. Acidularum uſus ſemper bene ceſſit ratione lienis oppilati & ſanginis craſſioris ſcorbutici. Uſus alias aliqvoties eſt aliorum conſilio Therebinthinâ, emulſ. & aliis ſimilibus renes & veſicam reſpicientibus ſed ſine effectu. Utitur nunc per intervalla cum ſucceſſu, lenibus evacuationibus per alvum, aqva deſtillata pro corrigendo ſangvine & abſorbendis ſeroſis humoribus, ſangvinis imminutione & diæta convenienti, ſatq; bene habet; Quærit tamen, unde filamenta illa? quidam renibus adſcribunt & putant illos inclinare ad putredinem ulcusq; metuunt & hinc exſiccantia ſvadent. Alii hoc non verentur propter ſuperius dicta, febrisq; abſentiam, ſed putant filamenta illa oriri partim â non penitus digeſto chylo, partim à ſeminali materiâ ſuperfluâ ex cremento utili, qvod ſanus ſit & robuſtus, Veneri nihilominus in totum abſtinens ab annis 20. & ultra ſuadentq; ut naturæ negotium relinquatur, diæta bona ſervetur, deſtillatis ſangvinem depurantibus pharmacisq; viſcera roborantibus & intermediis blandis evacuationibus per clyſteres & ſyru-

syrupos laxativos sangvinisq; per V. S. scarificationem, hirudines ano appositos imminutione naturæ succurratur. Unice desiderat patiens doceri, an sine periculo vitæ liceat naturæ negotium relinquere, aut quid in hâc re præter diætam & supra dicta institui possit.

Responsio, ad J. D. Horstium.

Gaudeo quod vivas valeasq; meiq; adhuc memor sis post tot annorum silentia. Ego laus Deo inter vivos etiamnum numeror, si senum vita vita dici mereatur, quia cum morte qvotidiana potius luctatur, quam vitæ commodis fruitur. Superanda tamen omnia animi constantiâ, ut ad æterna certius adspiremus. Solatur mei Dei benignitas, bonorum favor, & liberorum amplexus. Reduces ex Italia nuper habui filios duos, qvorum major natu Casparus Anatomico Theatro destinatus exercitia Anatomica qvamprimum publicè resumet, ut monstret quantum in hac arte valeat. Cæterum Casum Amici tui qvod attinet, qvanqvam variis negotiis districtus accuratè expendere non valeam, tui tamen in gratiam nihil non tentarem; Variorum symptomatum Syndromen perspicio, sed ante omnia sollicitum esse ægrum de filamentis in lotio comparentibus, & iccircò unicè desiderare, ut certior sit, an sine periculo vitæ liceat negotium naturæ relinqvere. Ut brevissimis verbis mentem meam aperiam: non video periculum magnum aut formidandum ab illis filamentis imminere corpori satis robusto, qvin naturæ porrò relinqvi possint, qvippe nihil inde æger sentit incommodi, benè concoqvit, unde à chylo origo eorum repetenda non est, benè valet, nisi qvod hypochondriacis affectibus conflictetur, qvi cum his nihil commercii habent. Nec vitium latere potest in renibus ad putredi-

nem vergentibus, qvia nullus dolor regionem renum vexat, abeſtq; febris. Suppreſſio verò urinæ ab acribus potius & Scorbuticis flatibus provenit, qvæ cedit medicamentis opportunis, ſicut ex relatione transmiſſa intelligo. Credo filamenta illa ſeminis eſſe excrementa, ex veſiculis ſeminariis vel laxis, vel à materiâ acri vellicatis vel qvocunq; modo affectis. Perſvadent id gonorrhæa priorum annorum, forſan non ſatis percurata, & habitus ſangvineus & robuſtus, ventriculiq; robur conſtans, qvi copiam ſangvinis generat, & ſeminis in cœlibatu retenti coacervatiq;. Hinc qvanqvam non rarò emacietur corpus in hujusmodi gonorrhæa, attamen qvia benè digerit alimenta, reſarcitur ſtatim illud damnum. Mea qvidem ſententia porrò hactenus præſcriptis ex methodo medicamentis inſiſteret, ſed non niſi ſemel aut bis anno, vere & Autumno ad corporis ſcorbutici expiationem. In primis pro urinæ difficultate & vaſis ſeminariis curandis ingens præſidium ponerem in Terebinthina qvacunq; forma adhibita, ſive pilularum, ſive Emulſionis. Nec diſſvaderem ut *Barbarum* de Re Uxoria legeret, hoc eſt, ut licitam Venerem, diu intermiſſam, repeteret. Qvod ſi iſtum ſtatum res ejus rationesq; non ferunt, bono tamen animo ægrum optimum, amicum meum, qvia tuus, eſſe jubeo, cum non ignotus ſit mihi alius, qvi ludibrium illud profluentis materiæ ſeminalis ultra XXX annos paſſus eſt ſine periculo vitæ. Plura non vacat de hoc affectu ſcribere, luctu enim impedior ob funus Matris meæ deſideratiſſimæ *Annæ Finckiæ*, qvæ anno ætatis 84. nuperrimè exceſſit *Mater*, Avia, Proavia, Abavia LXX liberorum. Nos ſeqvemur qvando Deus juſſerit vitæ necisq; noſtræ arbiter. Tu interea, Magne Horſti, in plurimos an-

nos

nos famæ Tuæ intersis, meq; meosq; amare perge. Hafniæ VIII. Dec. 1677.

T. T.

Th. Bartholin.

III.

De Moxa.

Ad J. D. *Horstium.*

ET Tibi & mihi gratulor de filiis paterna vestigia tam feliciter prementibus. Atq, ea demum nostra est felicitas, qvod posteritati nostræ intersimus, & senectutis nostræ solatia intueamur. Deus utriq, hoc gaudium jubeat esse diuturnum. De Moxa vidi qvid Nepos Tuus *Gregorius Horstius* commentetur. Innotuit mihi illa ex *Buschovii* Libro Belgico cum ille in publicum prodiisset. Particulam Moxæ ipsius ad me pertulit D. *Möinichenius* superiori anno ex Belgio cum conjuge ad nos redux. Nullum verò ejus experimentum hic fecimus, partim qvod ea copia ad nos non sit delata qvæ sufficiat multis experimentis, partim qvod propositum remedium respuant ægri nostri arthritici propter doloris metum. Nec facilè persvaderi sibi patiuntur ignoto experimento corpus subjicere. Quod verò Moxa præstare dicitur, idem prorsus gossypium vulgare & linea petia præstare potest, quibus Ægyptii utuntur in cauteriis suis, teste *Alpino* Lib. 3. c. 12. Ustionem illam Arabicam vocat M. Aur. *Severinus*, apud quem Neapoli olim vidi pluſculos tophos Gallicos felicissimè sed non sine ægrorum dolore insigni curatos simili ustione ex filis carptis in pyramidem effictis. Nostri ægri tam patientes dolorum non sunt, voluntq; mitius tracta-

tractari etiam cum maximo ſanitatis detrimento. Rectè verò monet Clariſſimus Tuus Nepos, ſtultum eſſe uno calopodio omnium pedes metiri. Neq; id ſvadet *Alpinus*, nec *Buſſcoſius*. Uterq; enim in eo conſentit, ut in doloribus articulorum ex frigidorum humorum defluxu obortis, aut à flatulento ſpiritu vel à ſimplici intemperie frigida genitis ad iſtam uſtionem deſcendamus. De genere Moxæ non valdè laborandum cenſeo. Non credo occulta aliqua qualitate hic agi, ſed inſtar aliorum cauteriorum ex qvacunq; materiâ confectorum, partium imbecillitatem corrigi, contentos humores vel flatus reſolvi calore uſtionis ex accenſo goſſypio vel filis accenſis quibuscunq; aliis. Domi ſe offerunt in plantarum genere non pauca qvæ paria faciant. Per microſcopium, qvod accuratum habet filius meus Caſparus, vidi Moxam continere filamenta tenuia, qvalia plantæ lanuginoſæ oſtentant, intermixtis qvibusdam pulviſculis, qvi an ex radice Chinæ Chinæ ſint deprompti, non facilè divinarem. Interim libenter haberem iconem floris, qvem ex liberalitate Dn. Kirſchii ſe habere refert Nepos Tuus Doctiſſimus. Vale. Hafniæ 20. Feb. 1678

Th. Bartholin.

Ex *Gregorii Horſtii* jam laudati ſpecimine Anatomiæ Practicæ Francofurti 1678. edito, hæc de Moxa, qvæ ibi adjecta ſunt, ſubjicere placet: Arthriticorum dolorum gratia in Diſputatione Inaugurali Moxæ mentionem feci, qvamq; cum ratione, & ſic cum ſucceſſu, denuo hic Francofurti adhibitam vidi hiſce diebus. Dixi autem p. 16. non novum eſſe inventum uſtionem Podagricorum per ferrum ignitum, aut frixatum ſtercus hircinum. *Avicenna* commendat eam, ſed per aurum potius ignitum, quam

qvam ferrum, t. 1. p. 232. 277. & Ischiaticis qvidem t. 1. p. 970. podagricis p. 974. cum qvibus confer Obs. com. p. 971. Vulgare apud Lappones referente *Scheffero* Ups. Prof. p. 310. remedium, qvod capiant fungum arboribus betulinis placentæ instar ad hærentem (de fungorum usu ad hanc rem lege *Hippocratem* de Intern. affect. p. 103. l. 14.) cumq; accensum igne, imponant loco ubi sentiunt dolorem atq; cruciatus, qvem si recta tetigerit, ultro deinde fungum ignitum resilire, doloremq; colli per exulcerationem subseqventem. Dixi simul Dn. K. & Dn. *Jordis* bene ab hac inustione Moxæ habuisse, M. K. & S. male. Ibi exposui, & alia scitu necessaria. Interea hic vidi literas Augustæ Vindelicorum exaratas, 20. Sept. elapsi anni ad Dn. *Jordis*, qvæ testantur, ibidem felici cum successu Moxam adhibitam esse. *Urgentibus doloribus*; ait Arthriticus Augustanus, *moxam incensam tertia vice modo debito pedi & manui adhibui, & postea apposui per horas XXIV. allium contusum. Vesica nulla excitata est; eschara verò paulatim post Emplastri diapalm. usum intra qvatriduum cessit, & per qvinq; septimanas ploravit copiosum fœtidum humorem heterogeneum pars usta, tandem sponte consolidata. Bene habeo ab hac ustione, melius tamen qvoad manum, qvam ad pedem, qvod forsitan manus ingruente stat im paroxysmo, pes verò jam tumidus, fuerit ustus. Arbitror etiam convenire partibus à doloribus longo tempore debilitatis. Magnifacio certè moxam, Dn. Christ. T. ante 14. dies digito jam nodoso applicuit. Alius tamen hic Moxæ inustione dolores trajecit in lumbos.* Cum verò ut plurimum notante Clar. *Waldschmidio* p. 31. de *Idea* Podagrici moriantur, si natura ad partes externas propellere cesset materiam, non optanda videtur allegata metastasis. Heidelbergâ scribit Amicus qvod Dn. Dr.

Kircherer in Helvetiam profecturus *Moxam* summo cum successu usurpaverit, & professus fuerit, nobilius medium non posse inveniri. Sed hæc omnia cum grano salis sumenda. Ubi Cauteria necessaria, utilis Moxa, ubi non necessaria aut inconvenientia, noxia Moxa. Stultum enim uno calopodio omnium pedes metiri. Nobilis quidam Vir, rerum naturalium indagator strenuus Dn. D. *Scheffero* Francf. Fautori meo colendo, scribit, Sp. Kal. Novembr. se Moxam per Microscopium excellens penitius examinasse & deprehendisse, esse compositam ex Gossypio Chinensi, & cortice lignoso minutim inciso, corticis China China æmulo. Ego verò vix fidem habeo huic suspicioni. Est enim Moxa simplex vegetabile, cujus florem habeo ex liberalitate Dn. *Kirschii* Viri integerrimi. Refert qvoq; hujus Frater, qvi per annos XIV in India vixit, se in Japponia vidisse sæpius hanc *M*oxam, plantulam humi repentem; qvo ad nomen autem qvidam putant *Mocham*, non *Moxam* dicendam, qvod Chinæ & Japponiæ incolæ X per Ch. communiter exprimant.


Ex Epistola J. D. *Horstii* ad *Th. Bartholinum* Francofurti 9. April. 1678: Nuper *A*rgentorati Moxam adhibuit Medicus satis eminens ad tollendos podagricos, sed ustioni accedens febris maligna ipsum è medio sustulit.


Ex Epistola *Ejusdem* ad *Eundem* 17. April. 1678: Mitto hic flosculos quos in explicata Moxa inveni. Argentoratenses Moxam ipsis fuisse noxam prædicant, rumoremq; spargunt, Medicum ibidem ab illa ustione mortuum. Sed ille Vir interiit febre maligna potius, quam usu Moxæ. Hic multi utuntur; nec dolorem magnum excitat Moxa, etiamsi applicetur sano membro, ut ipse expertus

sum

ſum in me, qvi uſurpavi ſemel. In cæteris plane tecum ſentio.

Adduntur figuræ 1. Moxæ, 2. floris 3. bacillorum quibus ignis accenditur.





IV.

Conſilium *Facultatis Medicæ Hafnienſis* de curanda & præcavenda Dyſenteria Hafniæ graſſante 1677.

I.

Qvomodo Dyſenteria DEI auxilio præcavenda.

PRimò purgandus aër, plateæ & ædes nitidæ ſervandæ ab impuritatibus fœtidis, præſertim à ſordibus infectarum ædium. Proficuum eſt, ſi mane, ſæpiusq; de die, perfumentur ædes ligno Iuniperino, vel baccis Iuniperi, aqua lavendulæ, balſami, Roſarum, thure &c.

In Pharmacopolio qvoq; præparari possunt Rotulæ pro suffumigio sequentes;

R. Rad. Angelic.
—— Benzoi
—— Styrac. calamit. an. ℥ ß.
Cinamom.
Gariophyll.
Mastich.
Succin. an. ʒij.
Cum Mucilagine Tragacanthi in aq. ros. fact.
f. Rotulæ.

Anteqvam domo egrediaris mane, vel ægros visites, aliquid ore sumas ex Theriaca, Diascordio, Radice Angelicæ, Zedoaria, Citro, aurantiis, vel ex his rotulis sublingualibus:

R. Spec. Liberant.
Diamarg. frig.
Corall. rubr. præp. an. ʒj.
Terræ sigillat. silef.
C. C. Phil. præp. an. ʒß.
Cum Saccharo in aq. ros. solut.
f. Rotulæ.

Qui electuaria malunt, capiant singulis horis matutinis ex præscripto hoc electuario qvantitate nucis juglandis:

R. Conf. Ros. antiq.
Fl. Borrag.
Cond. Rad. Scorzon. Hisp.
Cort. Citri an. ℥ iß.
C. C. Phil. præp.
Spec. Diamar. frig.
Diarrhod. Abb. an. ʒj

Cum

Cum miva Cidon. q. s.
f. Electuarium.

Proficuus etiam erit haustus Vini absinthites. Balsama odorifera naribus applicentur ex Angelica, rutis, succino &c.

2. In cibo & potu sit temperantia. Præferendi plerumq; cibi recentes, bonæ concoctionis, in aqva pura & limpida cocti sine aromatis aut, herbis calidioribus. Cerevisia nec recens, nec inveterata, ex aqva bona cocta. Fructus crudi, poma, pyra, pruna, nuces, cucumeres, melones, uvæ &c. vitandæ.

3. Fugienda conversatio cum infectis, qvantum fieri potest & Christianum est. Non dormiendum in lecto vel illis culcitris, qvibus infecti usi sunt. Fugienda inprimis illa, in qvæ excrementa sua ægri deposuerunt.

4. Ad majorem cautione malvus aperta servanda. Singulis hebdomadibus, vel qvoties opus, assumendæ pilulæ Ruffi, vel de Ammoniaco, ad pondus Drachmæ dimidiæ.

5. Nec inconsultum sudorem subinde provocare Theriaca, vel Mithridatio, vel dioscordio in aqva Cardui Benedicti vel Scabiosæ.

II.

Qva ratione hic morbus curandus.

Non statim initio morbi medicamentis adstringentibus utendum, sed sine mora assumenda ea qvæ acrem materiam educant, qvo fine hunc pulverem præscribimus:

R. Rhab. elect. ℥j.
Cort. *Myrob*. Citr. ℈j.
Cinamom. ℈ß.
M. f. Pulvis.

 Adul-

Adulti hominis una est dosis hæc in calidæ aqvæ plantaginis Unciis tribus circiter, vel potione ex cerevisia assumenda. Minores ætate & feminæ minorem dosin eligant.

Qvibus commodum est, peropportunum erit sine mora clysteribus uti, ad eluendam materiam segnem lentamq; & acrem mitigandam.

R. Hordei decort.
Furfur. Tritic.
Fl. Ros. rubr.
Verbasc. à Mj.
Coq. in aq. q. s. Colatur. R. Lib. 1. ß.
Mel Rosat.
Sacchar. rub. a. ℥j.
Vitell. ovor. n. ij.
M. f. Clyster.

Clyster ex Furfur. tritic. in cerevisiâ coctus pauperioribus sufficiet.

Ex lacte dulci domesticum clysterem sibi qvisqve hoc modo præparet: R. lactis dulcis ℔j, extingvantur in illa terq; quaterq; silices igniti, vel Chalybs, deinde adde duos vel tres vitellos ovi, sacchari ℥ij, sævi hircini vel Cervini ℥ij, seorsim liquati. Hic Clyster purgat, sanat, & sedat dolorem.

2. Si malignitatem subesse intelligas, qvalis illas dysenterias, qvæ jam grassantur, comitatur, statim in principio vel post usum clysteris, alexipharmaca ægris exhibenda, Theriaca v. g. Diascordium, C. C. præparatum, Terra sigillata, vel his similia.

3. Ita expurgatis intestinis semel, iterumq; si tormina urgeant, securè danda ægris adstringentia, inter qvæ seqvens Pulvis commendatur.

R. C.

R. C.C. Phil. ppt.
Terr. Sigill. Silef. a. ℥iij.
Rad. Tormentill.
Boli Armen.
Maxill. Lucii pifc. à ℥ij.
Sem. Acetof.
Plantag.
Macis an. ʒj.
Croci ℈j.
M. f. Pulvis.

Dofis in adulto ʒj, bis terq; de die fumenda in cochlearibus duobus aquæ feqventis:

R. Aq. Plantag. Tormentill.
Fol. querc. à ℥iiij. M.

Infanti datur ʒß. in lacte dulci, in qvo extincti filices igniti, vel in forbitione cerevifiaria.

Loco pulveris fubftitui poteft hoc Electuarium:

R. Conf. rof. antiq.
Diacyd. fimpl. an. ℥iij.
Rad. Tormentill.
C. C. Phil. præp.
Terræ Sigill, an. ʒiß.
Sem. Plantag.
Acetof. an. ʒj.
Corall. præp. ℈ij.
Cum miva Cidon. q. f.
f. Electuarium.

Bis terq;, fi exigat ufus, qvotidie ex Electuario fumatur qvantitate nucis juglandis, nec qvicqvam ftatim fuperbibatur.

Tenuioris fortis homines Drachmam Unam radicis Tormentillæ affumant, vel fem. lapath. acut. vel cupul. qver-

qvercus minutim contuſ. in cerevisia Myrtillorum, vel ſero.

Externè inungatur univerſum abdomen hoc Linimento:

R. Ol. Abſinth.
Cydon. à. ℥j.
Lumbric. terreſtr.
Maſtich. an. ℥ß.
Nuc. moſch. expreſſ. ʒij.
Ceræ parum.
M. f. Linimentum.

Incaleſcat in cochleari, & probè inungatur, deinde imponatur Cataplaſma linteo craſſiuſculo induſtum ut univerſum abdomen tegat.

R. Rad. Tormentill. pulv.
Micæ panis an. ℥ij.
Coq. cum aceto in formam pulticulæ.

III.

Qvo modo varia Symptomata præcaveri qveant.

1. Ingenti ſiti inſervit Iulepus hic:
R. Decoct: C. C. cum rad. Scorzon. & Tormentill. ℔ſ.
Syr. Cydon. ℥j. M.

Item defaecata, tenuis & clara cerevisia, cui immergatur fruſtulum panis toſti cum parum abſinthii & rad. tormentillæ ſuſpendatur. Potus cerevisialia & emulſio amygdalarum ex aq. hordei præparata, in qva igniti ſilices extincti ſunt. Syrupus Ribium. Et ſi abſit febris, concedi qvoq; poteſt ægro lac dulce cum ſaccharo, in qvo aliqvoties extincti fuerunt ſilices candentes. Pauperiores rurſ eodem modo uti poſſunt ſero lactis cum radice tormentillæ decocto.

2. Tor-

2. Torminibus doloribusq; gravioribus circa umbilicum & stomachum, inserviunt clysteres supra præscripti. Abdomen quoq; inungi potest linimento antea nominato, & tegi omento ex ove nuper mactata, & recalefacto inter duos orbes in oleo rosarum, item theriaca nucis magnitudine umbilico apposita. Si tormina modum excedant cum vigiliis, nec cedant prædictis, dari possunt ægro grana tria ad summum Laudani Opiati, sed non sine magna cautione & Medicorum judicio.

3. Ad tenesmum & vanum crebrumq egerendi Conatum, duo sacculi linei conficiantur ex herbis seqventibus:

R. Fol. & flor. Verbasc. Querc.
Herb. Potentill. Polygon. an. Mj.
Flor. Camomill. Melilot. an. P.j.
Sem. Lini, Fœnugr. an. ℥iß.
Incisa & contusa dentur in charta.

Coquantur in aqua fabrorum, in qua ferrum candens extinguitur. Post levem ebullitionem in vase clauso, sacculus unus inter duos orbiculos exprimendus, anoq; applicandus tam calidè quam ferre potest æger, ubi refrixerit, alter reponendus. Fumus etiam excitetur in sella, cui insidet, ex mastiche, olibano, terebinthina vel resina quæ carbonibus injecta sellæ supponantur. Utile quoq; est intestinum rectum ungere Unguento albo Camphorato, inprimis si inflammatio accesserit.

4. Nonnunquam prolabitur intestinum rectum, vixq; in loco retinetur. Huic malo destinantur hæ herbæ:

R. Rad. Alth. c. foliis
Fol. & Flor. Verbasc.
Fl. Melilot.
Camomill. a. Mj.

C . Sem.

Sem. Lini.
Fœnugræci an. ℥j.
Incisa & contusa dentur in charta.

Coquantur in lacte dulci vase clauso. Deinde spongiâ vel linteo quadruplicato in decocto isto tincto intestinum foveatur, tenteturq; intestini repositio. Intestino reposito Cataplasma sequens imponatur, ne denuo excidat.

R. Farinæ Volatil. ℥ij.
Sangu. Dracon.
Boli Armen. Rad. Plantag. Maj.
Mastich. an. ʒij.
Cum Albumine Ovorum & parum vini rubri
f. Cataplasma.

Inungatur duplicato linteo. Sumi quoq; potest asserculus novus ligni querni, cui calido inungatur sævum cervinum, illiq; deinde insideat æger.

V.

Casus singularis vulnerati abdominis.

Honoratissime Domine


POstquam A. 1676, DEO propitio feliciter appuli ad Bantam mense Novembri navi, quam albam Fortunam vocant, eaq; exonerata mercibus Societatis Danicæ & Norwegiæ, Amplissimus Dn. *Johannes Joachimus Paulli* Residens Regiæ Societatis Indicæ, misit Orientem versus ad vendendas merces non nullas, emendasq; asseres & trabes. Et quia ego valetudine minus prosperâ detentus, *B*antam subsistere cogebar, accidit die 20. April. st. v. vel 1. *May* st. n. *Ann.* 1677. ut die isto Sabbathi nuntium ad præ-

prædictum Dominum Paulli aliquoties mitteret Anglicus Agens Arnoldus Weit, prudens & officiosus Vir, amiceq; invitaret ut secum ad Lotionis locum per fluvium trajiceret ad conferendos sermones de transfuga Johanne Henricô Schytte. Non potuit hoc illi negare Dn. Paulli jure amicitiæ, cum etiam multum interesset Societati, ut fugitivus ille revocaretur ad Societatem Danicam. Igitur in comitatu multorum splendidissimorum hominum ad prædictum locum tendebant singuli sua scapha, nempe Anglicus Agens, Dn. Johannes Joachimus Paulli, Dn. Williby, cum conjuge, quæ uterum postremis mensibus gerebat, Dn. Nord Anglorum summus Capitaneus in Jambi, aliiq; plures. Cum, Sole ad occasum vergente domum redire meditarentur suoq; ordine scaphæ singulæ proveherentur, ubi medium itineris absolvissent, tragicus casus miserabilis & detestandus accidit. Nequissimus quidam Javan, genutenus aquæ insistens, brevi sed acuta utrinq; lancea tres digitos lata, Anglici Agentis latus dextrum perfodit, qui sangvinis profluvio post mediam horam expiravit. Sequens suo ordine in Scapha sua Dn. Paulli, in tenebris nesciens quid Agenti accidisset, ab eodem Javan petitur, vulneraturq; in trochantere. Dn. Paulli sentiens ictum, vertit se, ut ex scapha exsiliret, interea peractus est ictus, ibiq; aliquot musculi resecti, cum tendonibus, fibris, & nervis sursum tendentibus, pertusoq; ramulo Venæ Cruralis, unde singulari DEI providentia lancea se vertit ingressaq; est plana sui parte infra umbilicum, ubi cutis, pinguedo, una cum musculis transversam manum latè à Peritonæo separata fuerunt, lanceaq; suo acumine magnam laciniam ab ipso hypogastrio dilaceravit, vulnusq; effecit spithamam longum quatuorq; digitos quod ample hians horribilem faciem repræsentabat, ubi


etiam quinq; vel sex fibulæ impositæ. Dum ita vulneratum se Dn. Paulli sensit, ex scapha provolutus in fluvium evasit sicarii periculum.

Non potui intermittere quin simplicissimé enarrarem statum Vulneris, & quid in eo consideratione dignum fuerit, & quam periculosum, nisi Omnipotens DEUS ex singulari gratia avertisset. Primò in vulnerato Trochantere, si ictus profundius descendisset & extrema Musculorum qui os movent iliiq; firmiter adhærent, resecuisset, evenire debuit motus impotentia. Deinde, vulnerati sunt duo musculi, qui ab osse ilium, & cum nervoso tendine inseritur in Trochanterem, ut eundem extendat. Hi musculi sunt in origine sua candidi, & angustas insertiones habent, quæ diligenter sunt consideranda quando circa Trochanterem vulnera fiunt. Tertiò: Si ictus, pollicis crassitie, altius penetrasset, ut læderetur ramus major, qui una cum nervo magno ad genu pergit, venaq; cruralis pertusa fuisset, magna sanguinis profusio sequi potuisset, ex qua sæpe animam cum sanguine vulnerati profundunt. Quartò: nisi lancea singulari DEI providentia sese vertisset, cum in hypogastrium descenderet, illæso tamen peritonæo, sed acie sua ulterius ingressa fuisset, extremum vitæ periculum timeri potuit, quia prope os pubis locus ille situs est, ubi sitæ sunt partes generationis, ubi etiam intestina vulnerata fuissent, morte insequente.

Ego quidem primus fui qui vulnus obligavi: si quidem verò multum pro Societate Nobili intererat laudatum Dn. Paulli salvum esse, consultum visum fuit ex Batavia evocare Chirurgum peritum. Quod curæ fuit Nobilissimo Dn. *Johanni Maatsuycker* Generali in *Batavia*, qui expertum & Doctum Chirurgum Reymerum de Witt huc misit, convocato præterea perito Gallorum hic degentium Chi-


BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Monstrum Ovinum



Chirurgo Guilhelmo de Comball, quorum nobiscum diligenti opera DEUS benedixit cœptis nostris, ut non tantum Symptomata prava averterentur, sed cura feliciter successerit. Etc.

Johan Siller Chirurgus Danicus in Castello Dansborg Indorum.

Bantam 16 May. 1677.

VI.

De Cataractæ causis, & Monstri Anatome.

SI conjecturæ locus, ego de causa & foco suffusionis sequentia statuo, videlicet (de ætiologia hujus affectus secundum Galeni Scholam nihil addo) succum nutritium lymphaticum, qui humori crystallineo in nutrimentum cedit, extra suum locum esse propulsum, & in modum abscessus vel alicujus excrescentiæ tanquam appendicem aliquam humori crystallineo adnatam esse, ita etiam hæc passio insidet humori crystallino tanquam suo foco. Hanc meam conjecturam stabilit 1 quod corpuscula omni colore careant. 2. quod etiam minimi pulvisculi in aëre volitantis intuitum licet ea corpuscula inter visum & pulvisculum medium locum teneant, non tollant. Si ab aliquo humore hic affectus esset natus qualiscunq; etiam ille foret, 1, aliqua coloris tinctura gauderet, sunt verò humori crystallineo simillima, i. e, omnis coloris expertia. Posset autem hic humoris crystallinei abscessus facilè addensari, si libero affluxu quorumlibet humorum gauderet; eos exhauriunt fontanella & pulvis nasalis Tuus, tumq; emplastra temporibus applicata. Mirum nihilominus est, quod rerum à meo visu contemplatarum simulachra,

etiam postquam eæ visui meo sint subtractæ, in oculis circumferam, vestigiaq; diutius inhæreant. e.g. discus Solis & alia phænomena lucidiora, cujus rei ætiologiam ego à fortiori rerum spectandarum apprehensione, quæ fit in retina, deduco. Quemadmodum nunc de suffusionis ætiologia aliter ac alii philosophor, eodem modo divortium facio in causis reddendis vel foco guttæ Serenæ assignando, quem communiter in obstructione nervorum opticorum collocant, verum enimverò, si nervi optici forent obstructi, non solum visui cæcitatem, verum etiam ob privationem alimenti, quod per hos nervos impellitur vel trahitur, tabem aut oculorum marasmum conciliarent, quare hi nervi sunt salvi, & alibi focus quærendus. Kiliæ 21 *Muy* 1678.

Joh. Ludovic. Hanneman
Med.D.Prof.Phys.*Leopold.*
Societ. Collega.

P. S. Mitto iconem monstri informis Ovini, in qua

A. Sunt pedes anteriores.
B. Pedes posteriores.
C. Nasus depressus instar nasi hominis.
D. Umbilicus cum vena propendente.
E. Vestigia mammarum.
F. Vestigia genitalium.
G. Vestigia ani.

Ego statim acceptum monstrum in præsentia trium Studiosorum Medicinæ & cujusdam civis hujus loci (inter quos tunc erat *Georgius Kus* Med. Studiosus) cultro Anatomico subjeci interioraq; scrutatus.

1. Ex.

1. Exterior cutis glabra, alba instar humanæ cutis sine pilis, imo sine ullo pilorum vestigio.

2. Post aperturam conspectui sese obtulit materia serosa, qua & impletum erat universum corpus, excepto capite. Intestina pellucebant fere ob seri copiam, quo circumfluebant. Erant præterea adeò confusa, ut nullus ordo, nullumq; discrimen inter ea investigari posset, intestino colo annatum parvum quoddam instar lumbrici albi gyris & anfractibus gaudens.

3. Color hepatis erat satis naturalis, Lobus sinister solito rubicundior, dexter verò subnigricans apparebat. Cæteroquin Epar magnitudinem naturalem corpori adæquatam obtinere videbatur, sed contextum mollem contraxerat vitio sevi, cui innatabat.

4. Cordis figura nihil insoliti continebat, ejusq; conus medium respiciebat thoracem. Arteriæ benè dispositæ, arteria Magna videbatur duplex satis magna, firma albescens, ne guttam Sanguinis continens, sed Serum.

5. Pectus ut regio ventris tum intestinorum materiam glandulosam instar piscium spermatis granulatim cohærentis continebat.

6. Nulli aderant renes.

7. Omentum sese repræsentabat per istam modo dictam membranam pellucidam glandulis intertextam.

8. Lingua inferiori oris parti tota annata multoq; sero imbuta, colore albescenti prædita, ejus substantia pellicula alba & satis firma erat obvoluta, quæ pellicula firmiter adhærebat dictæ oris parti.

9. Ad oculos nulli patebant ductus, nervi optici nulli, os imperforatum, & ne vestigium quidem ductuum exhibebat.

Nobi-

Nobilissimus & Doctissimus Juvenis *Adolphus Conradus Langelott* Cimbriæ nostræ Æsculapii & Hermetis redivivi, communis nostri Amici filius talem historiam Lugduno Batavorum ad me perscripsit 23 Aug. An. 77. referamq; propriis ejus verbis: Nuperrimè hic fuit editum monstrum aliquod, ubi duæ puellæ alias bene formatæ pectore sibi invicem erant adnatæ. Unum umbilicum tantum habebant, duo capita & quatuor pedes, totidemq; manus. Sat magnæ erant, valdeq; formosæ, ut omnes Medici eas admirarentur, placenta fruebantur una, cui filiolus (qui adhuc in vivis est) quoq; erat alligatus. Nam tres in utero gessit, peperitq; fœtus. Ego ipse vidi, cæterum istæ puellæ statim in ipso partu fato sunt functæ, quoniam obstetrix illas vivas educere non poterat.

VII.

De Vermibus in aceto & Semine

Ex Epistola *Thomæ Bartholini Filii* Profess. Hafn. scripta Leidæ XXVIII May 1678.

Vidi apud *Myssenbruchium* microscopiorum artificem, quomodo instrumento *Boyleano*, columbæ & ranæ vitro inclusæ, aërem ita expresserit, ut Spiritum efflaverint. Quod sanè notabile fuit, cum Boyleus, si rectè memini, ranam eo modo extingui posse constanter neget. Eleganter etiam adjumento microscopii globulos in sanguine humano, & vermes in omni etiam paucissimo aceto conspexi. Addidit insuper, observasse sese, semen humanum animalculis multorum generum esse repletum; idq; verissimum esse postea mihi dixit *D. Voller*, Philosophiæ Professor Doctissimus.

VIII.

Abſceſſus Oſſis.

IN ædibus Philippi Hacquart Chirurgi Regii peritiſſimi, præſentibus Medicis, ſectus fuit pes à milite detruncatus, in quo præter alia notavimus per abſceſſum exeſam & abſumptam fuiſſe tibiæ partem, quæ exinde in pede defuit ad quinq; digitorum transverſorum capacitatem. Eodem abſceſſu muſculi pedis ejusdem, prorſus glanduloſi evaſerant, quam metamorphoſin ſatis admirari non potuimus, in diverſas conjecturas abrepti.

IX.

Antimonii diaphoretici damna.

INſtante vere Sudoriferum ex Theriaca, Antimonio diaphoretico gr. vii &c. filiæ ſuæ exhibuit Vir Reverendus, ex officina quadam Urbis petitum. Statim ſudoris loco oborta tormina ventris & anxietates, cum ſiti & ardore ingenti, qui ſedari non potuit niſi propinata cereviſia calida. Hinc vomitus ſecutus & fluxus alvi cruentus, qui mitigatus fuit exhibita Theriaca cum lacte. Alia quoq; Symptomata comitabantur, lipothymiæ, extremarum partium frigus, pulſus intermittens horulæ ſpatio, convulſiones &c. Oblatis alexipharmacis ſedata omnia. Pharmacopæi ſervus cuncta legitimé præparata dicebat, nec venenum in vicinia adfuiſſe, nec mortarium impurum. Antimonium quoq; optimè ante 14. dies à ſe ipſo præparatum Pharmacopœus dejerabat, colore adhuc candido monſtrandum, & ſine noxa à ſe ad ſcrupulum medium devorandum. Exiſtimavit verò puellam hyſtericam

 fuiſ-

fuisse, cujus tamen affectus nulla comparebant indicia, & cura per alexipharmaca & lac huic suspicioni repugnat. In quem culpa reiicienda, expiscari nequivimus. Casus verò fortuitos nec Pharmacopœum nec Medicum ullum præstare posse, nemo ignorat. Pacis amore Vir Religiosissimus DEO vindictam commisit si quidem in Officina culpa lateret. Convaluit enim virgo, quanquam lento gradu & cottidiano medicaminum usu, orbiq; testis est, quam periculosa sint medicamenta ex Antimonio malè fido confecta. Summa necessitas me ad hoc remedii genus vix propellet. Antimonium enim & Mercurius mihi semper fuere suspecta. Levissimus quippe error in præparatione commissus vitâ hominis expiatur.

X.

De radice Indorum Nisi.

ALlata ad nos est his annis ex India Orientali cum navibus Societatis nostræ Indicæ, Radix quædam, quā vocant Nisi, saccharo condita magno satis precio, sed sapore non adeó delicato. Lardum enim coctum sapit. Alias verò dotes & virtutes depredicare nesciunt, qui hanc degustarunt. At Major ejus in India fama & existimatio. Misit aliquot ex India radicis hujus exemplaria recentia non ita pridem *Johannes Joachimus Paulli* Societatis Danicæ in Insula *Javâ* Præfectus ad Parentem Virum incomparabilem *D. Simonem Paulli*, cujus beneficio debemus, quod hic ejus mentionem facere possimus, his additis literis, scriptis in Bantam 4 Oct. 1676: Cum morti vicinus decumberem, à Chinensi quodam hic curatus sum. Vitales spiritus penè consumptos restituit radice

dice quæ Ginseng in China, & Nisi in Japonia vocatur. At quia hujus etiam mentionem facit *Athanasius Kircherus* in Descript. Chin. p. 178. quatuor ego radices Nisi transmittere volui, ut etiam de virtute illarum in Dania experimentum fieret. Auri pretium æquat, pondus enim illarum totidem auri pensatur. Hactenus ille.





P. Martinius in Atlante Chinitico pag. 35. ita hanc radicem describit: *Jungseng* urbs recta in Ortum ab urbe Regia *Peking* protenditur, tota regio montibus collibusq; extuberat, quia tamen adjacet sinui maris *Cang*, nihil eorum, quæ ad vitam sustentandam necessaria sunt, magnopere in ea desideratur. Magna piscium copia est, nobilissimæq; radicis totâ Sinâ celebratissimæ *Ginseng*, Japonibus *Nisi*: nomen Sinicum illi à figura, divaricatis quippe cruribus hominis formam refert (*Gin* porrò hominem significat) *Mandragoram* nostratem credas, nisi quod ea multò minor sit, quin illius tamen species sit aliqua, nullus dubito, quippe quæ & formã & vim habeat. folia ejus mihi hactenus videre non contigit; siccata radix

flavescit, fibras seu capillos, quibus alimentum sugat, vix ac ne vix quidem habet, nigricantibus venulis tanquā subtili atramento ductis circumspersa est; Cum manditur dulcedine ingrata est nonnulla ad mista amaritie, sed tenui; auget plurimum vitales spiritus tantetsi unciæ vix duodecima pars dosis fit. Sumptum illius pondus paullo amplius debilium vires restaurat, suavem corporis calorem excitat, Balneo *Mariæ*, ut vocant, cocta adhibetur, atq; fragrantem ad instar aromatū exhalat odorem, calidioris fortiorisq; naturæ qui sunt, ejus sumptione vitæ periculum adire solent, nimium auctis exundantibusq; spiritibus; debilibus, fatigatis, vel morbo diuturniori, aliave de causa exhaustis ad miraculū prodest: moribundis ita vitales quandoq; vires reddit, ut sæpe illis adhuc Tempus sit sumendis aliis medicamentis sanitatiq; recuperandæ. Mira alia de hac radice Sinenses prædicant, triplo argenti pondere appensa emitur libra.

Gentianam huic præfert *Kircherus* nobilioribus dotibus præditam, idq; folia, saporem, radicem, virtutem, satis ostendere. Vitam tamen neutra perennare facit, ut rectè censet laudatus Pater. Sed folia Nisi *Martinius* nunquam vidit.

XII.

Processus Judicialis Virginis veneno Heram extinguere conantis.

VIrgo Nobilis in familia Illustris Comitis degens, nescio quorum instinctu, arsenicum Heræ exhibere decreverat. Arsenicum à vetula emit, præparat, miscet potioni cerevisiariæ, quam Hera haurire debebat, aquis cordialibus ad quas subinde Hera valetudinaria recurrere soli-

ſolita eſt. Succeſſit Virgini conſilium. Cum potione cereviſiaria haurit Comes venenum, ſed DEI & Naturæ beneficio innoxium. Oborto enim vomitu violento rejecit ſumptum pharmacum, in terra ebulliens. Malè habuit tamen Comes & alexipharmacis imminentia mala, quantum poſſibile, avertit, diu vel metu pharmaci vel veneni indole anxiam vitam inter querelas traxit, donec ſenſim convaleſceret. Inter alia alexipharmaca, etiam lapidem ex India allatum, qvem *Cobras de Cabelo* vocant, brachiis appoſuit, quibus adhæſit velut venenum attracturus. Credo tamen etiam corpori ſine veneni ſuſpicione appoſitum adhærere, ſpongioſa ſua natura. Id quod etiam cenſuit *Franc. Redi* Naturæ conſultiſſimus in Experim. Natural. de his lapidibus ſcribens: Negari non poteſt, quod vulneribus illis adhæreant; ſed hoc addatur neceſſe eſt, illos quibuſcumq; vulneribus non venenoſis, atq; adeò cuicumq; parti corporis adhærere, quæ quidem molles ſunt, & ſangvine vel quo alio liquore madent; eadem ratione, qua exigui illi panes terræ ſigillatæ, & omnes aliæ bolorum ſpecies.

Virgo indiciis veneni propinati convicta factum confitetur & voluntatē necandi Comitis ſuæ heræ, ſed ab aliis ad id perſuaſam. In jus vocatur. A Commiſſariis Regiis capitis damnatur. Neq; id injuria. In ſimplici enim homicidio, dolus ad pœnam ſufficit, etiamſi eventus non fuerit ſecutus. Conforme id juri Civili, adeò ut qui ſtrinxit gladium & cum telo ambulavit hominis occidendi cauſa, lege Cornelia de Sicariis teneatur Lib. 48. D. tit. 8. leg. 1. §. 1. 3. & Leon. Novell. 35. Qvibus ferè conſentit Codex Legg. Danicarum L. III. c. 67. Quanquam mitior pœna in *Jure* Aulæ Danicæ, vulgò Gaardsratt §. 7. ſtatuatur, manus perforatio. Ab eodem rigore receſſit

quoq; Communis Schola Interpretum Romanorum, & usus fori in toto fere orbe, ut conatus cædis non ultimo supplicio sed extra ordinem mitius puniatur, præcipue cum ad actum cædi proximum perventum non est. *Ant. Mathæus* De Criminibus ad h. l. Digestorum accedit mitiori parti, quia 1. Sacra Scriptura consummatam cædem exigit. 2. Providentiam & misericordiam divinam revereri debemus, quod utriusq; vitæ consuluerit, sicut *Plato* illustrat l. IX. de Legibus. Ipse conatus veneno interficiendi, nisi morte secuta, capitalis non est moribus Anglicis, notante *Th. Smithio* Lib. 2. de Rep. Angl. c. 27. quia Princeps Subditum non amisit, & vitam, nisi morte secuta, amittendam fuisse non placet. De Veneno quidem in jure Danico nulla lex lata, quia ignota hæc flagitia hactenus apud innocentem gentem nostram, & sanctius ad Oceanū nostrum vivere consuevimus. At jus Romanum facem præbet. Plus ibi est hominem extinguere veneno quam occidere gladio *Lib. IX. C. tit.* 18. *de Maleficiis* §. 1. Ergò & conatus seu voluntas propinandi venenum majorem pœnam involvit. Tenetur verò lege Cornelia qui hominis necandi causa venenum confecerit, dederit. L. 48. D. de leg. Cornel. tit. 8. l. 1. §. 1. Item Leg. 3 Marcianus: Ejusdem legis pœna adficitur, qui venenum necandi hominis causa fecerit, vel vendiderit, vel habuerit. In mitiorem verò Sententiam pro virgine octodecim annos nata libenter propendissent judices, memores edicti Paullini in l. 108. D. de Reg. Juris: ferè in omnibus judiciis pœnalibus & ætati & imprudentiæ succurrendum. Cæterum mitigari non potuit pœna, in facto apud nos insolito, ne in exemplum traheretur. Imò mitissima pœna videbatur capitis, cum parricidii pœnam mereretur illa quæ heram suam veneno interimere tentavit. Matris enim

loco

loco erat hera tam benefica. At lege Pompeja pœna parricidii illi infligitur, qui emit venenum, ut Patri daret, qvamvis non potuerit dare. Lib. 48. D. tit. 9. l. 1. Hinc *Plato* l. 9. de Legibus, quanquam vetuisset vulnus occidendi animo illatum morte puniri, tamen filium, Servum, fratrem, conjugem ob solum conatum capite plecti jussit. Similem casum affert *Loccenius* Synops. Jur. p. 679. servi Holmiani volentis veneno extinguere herum, & ea propter capitis damnati.

Virgo tamen in sui excusationem juramento affirmabat se ad facinus hoc persuasam ab alia *M*atrona Nobili vicina, quæ simultates alebat cum Comitissa, & per internuntiam quandam vetulam, Luciam nuncupatam, ad id animatam oblato pomo tosto intoxicato, uti rebatur, quo sumpto tantum animi se concepisse, ut quódvis facinus intrepidé perpetrare parata esset. Omnia verò hæc quæ Matronæ vicinæ Virgo imputabat, etiam jurejurando, strenuè à Matrona negabantur, quia unius, maleficii convictæ, confessio pro nullo habetur ex Recessu Christiani Tertii §. 18. Poma verò integra fuisse, & pro tussi sedanda Virgini missa.

Actio igitur contra Luciam vetulam & edentulam instituta, quæ conscia facinoris judicabatur vel prima instigatrix, ex Virginis Nobilis testimonio, ex alterius vetulæ vendentis confessione missam se à *L*ucia ad Virginem, ex tertiæ mulierculæ confirmatione quæ utramq; in platea colloquentem viderat & istam mox ad ædes Virginis ingredientem. Tribus his testibus suspicio confirmata. Nam quanquam Virginis testimonium minus ponderis habere videretur, tamen Testis unius inhabilitas, habilitate alterius compensatur. Alia præterea Luciam aggravabant. Statim enim postquam vetulam cum arsenico ad

Vir-

Virginis ædes misisset, tabulatum vicinæ Matronæ Nobilis concitato gressu adscendebat, visura an Virgo arsenicum emeret. Variis etiam mendaciis coram judicio se suspectam reddidit. Eadem poma tosta Virgini attulit, quæ intoxicata credebantur & illis rebus infecta quæ audaces homines faciunt. Scribunt enim Botanici de radice Cattariæ, ad audaciam accendere si sub lingua teneatur, idq; ob calidas ejus qualitates.

Contra Matronam Nobilem à Virgine insimulatam varia utrinq; disputata fuere, dissentientibus Commissariorum votis. In Supremo tandem Tribunali, cui præsidebat ipse Rex Augustissimus, latâ sententiâ finali, Virgo capitis damnata, Lucia virgis cædenda urbe & Regno excedere jussa, Matrona Nobilis ad Insulas relegata. Hic finis Tragœdiæ.

XIII.

Rara monstrosi Ascitis historia.

ANcilla quædam fuit hic Otthiniæ, cujus abdomen ita distenderat Ascites, contabescentibus facie & artubus, ut, qui oculis eam non subjecit suis, animo concipere vix possit. Certè cum ventre fœtæ vaccæ certabat misellæ Aqualiculus, infra genua ipsius exporrectus; qui tandem, anima cassus, Profectorum novaculæ pependit vitiosæ lymphæ 120. libras, seu cantharos triginta, nobilioribus putredine consumptis visceribus. Ego, ante mortem ipsius, (quæ jam tum suspicabatur se à Dæmonio obsessam) ab ægrota varia qvæsivi circa hujus mali causas, quorum hæc notatu dignissima sunt. Conquerebatur se, tredecim annos ante fatalem vitæ terminum, lignum prægrande, cui non erat portando, bajulasse, & statim ab illo tempore

pore dolorem se in sinistro percepisse latere, quem postea ulcisci cœpit internus quidam tumor, trusatilis, qui in eodem semper hærere videbatur loco, per octo priores annos, sine insigni molestia, attactui tamen digitorum cedens, huc & illuc propelli potuit. Elapso tot annorum spatio accidit, ut è curru præceps in terram deflueret; mox tumorem rumpi sentiens, reseratis nescio quibus cataractis, intumuit actutum, imminenti cataclysmo gymnasium præbitura. Atq; ita in monstrosam indies accrevit magnitudinem, post fatalem hunc lapsum, dolorum plenissima, per octo integros menses lecto miserrime detenta, non sine quotidiano minitantis rupturæ metu. In causam subitaneæ istius post lapsum intumescentiæ inquirere ne graveris. Ego puto vapulasse lienem (qui in defuncta obduratus emarcuisse prorsus observabatur,) ejusq; vasa lymphatica lymphâ serosiore diu multumq; distenta, rupturâ sua violentæ huic parentasse concussioni. Otthin. 24. Jun. 1679.

Georgius Hannæus.

XIIII.

De Ovariis Mulierum.

Ad *D. Guilielmum Rivam* Anatomicum Romanum.

Nunquamne ergo ab antiquis & diu confirmatis erroribus Anatome liberabitur? Semperne in dubiis incertis versabitur scientia nobilissima, quæ rectè consi-rata inter primas certissima est? Jam satis diu cum in-ceratis somniis & præconceptis antecedentium opinio-ous colluctata caput erigere posset, & veternum illum ue ignobiles umbras excutere, nisi quorundam perfra-

cta & præjudicata mente adhuc dubia pro certis, falſa pro indubitatis proponerentur, & ita nuperus Anatomiæ reſtitutus ſplendor ſupprimeretur, atque in multis jam certò determinata veritas ſtudio perverſo occultaretur. Ita plures adhuc videntur ingenio fundatas ſuppoſitiones & neſcio quam innumerabilem Autorum ſeriem veris experimentis præferre, adeoque hoc pacto nunquam ex antiquis tenebris emerget neque altam caliginem plenè diſcutiet Anatome. Tantum præjudicata opinio poteſt, ut etiam ſine ratione valeat autoritas. Hinc eſt quod in Recentiorum etiam ſcriptis plurima ad oleum potius & piper condemnanda veniant, quippe cum oſtendi poſſit eorum mentis oculos ſolos in conſilium adhibitos, in multis erraſſe, alia excogitaſſe qvæ non vera, non pauca admiſiſſe quæ falſa, idque neglecto vero rerum examine, quod ab iis non poterat exſpectari magnum, qui ex librorum pondere & Autorum numero commendationem quærunt, & extra veterum dogmata aliquid ſapere religioni ſibi ducunt. Et ſane errorum in Anatome omnium cauſa hinc proxime orta videtur, quod quilibet potius vanam nihil ignorandi, quam ingenuam quædam ignorandi, profeſſionem amplexus ſit. Adeo ignotum per magis ignotum paſſim explicatur, cum omnia ſpecioſo veri titulo adornantur & verbis nihil ſignificantibus circumſcribuntur. Cum tamen neſciam, quare pudori mihi ſit ducedum, liberè fateri, me quædam planè ignorare, de aliis dubitare, nonnulla, ut certa, admittere. Quippe cum homines ſimus humanum eſſe recordamur non omnia noſſe. Haud ullo in genere venia juſtior eſt, ſi modo, quod *Plinius* inculcat, minimè mirum eſt, hominem genitum non omnia humana noviſſe. Et hoc eſt Socratici præcepti, qui, fateri quempiam neſcire quod neſcit, turpe non eſſe aſſeverabat. Nam quod de errore monet

Cel-

Celsii l. 8. c. 4. hic de ignorantia dicam, ejus simplicem confessionem interdum etiam convenire magno ingenio, multaque nihilominus habituro, præcipuè in eo ministerio quod utilitatis causa posteris traditur, ne qui decipiantur eadem ratione, qua quis antea deceptus est. Et hac methodo majorem acquiret Anatome perfectionem, cum distinguantur ea de quibus dubitari non potest, ab iis quæ ulteriori cura investiganda sunt, ut ex dubiis, & incertis vera plane vel falsa evadant. Verumenimverò, quod maxime dolendum est, non paucos vana arrogantia in transversum rapit, qui, ne quicquam ignorasse videantur, omnia veris similia pro veris venditant & falsa specioso velo tecta pro veris obtrudunt. Pulchrè *Cartesius* de Methodo: Qui volunt scire de omnibus loqui & eruditionis famam sibi comparare, eò facilius pervenient, si verisimilitudine contenti sunt, quæ sine magno labore in omni genere materiæ inveniri potest; quam veritatem investigando, quæ paulatim tantum in quibusdam patefit, & cum de aliis loquendum est, ad ingenuam ignorantiæ suæ confessionem impellit. Si vero paucarum aliquot veritatum notitiam præferant vanæ nihil ignorandi professioni, sicut proculdubio præferenda est, longè aliter se res habet.

Plerique in nova inventa acriter insurgunt, & non solum res, sed & homines qui illas proponunt & vindicant, irrisui habent; sed falluntur ii, nisi fallor ego. Quippe si res vera est, non est nova, cum nihil tam antiquum sit ac veritas, At sola erroris deprehensio nova dici potest. Et quia hæc non satis distinguuntur, ideo plurimi ridiculosè proclamant Naturam everti, quando solùm falsa opinio evertitur veteri præjudicio firmata. Annon Parens meus, & *Harvejus*, aliique, qui vel sanguinis circulum vel lymphæ lactisque vasa & viam demonstrarunt; quisque suos habuerunt

manes,& nil nisi invidiam reportarunt? cum tamen unusquisqve,qui sensibus fidem denegare non velit,cogatur,vel invitus fateri , nihil illis inventis novis vel antiquius vel Naturæ acceptius esse. Non feliciorem applausum in incunabulis suis experta est nupera de Genitalibus Mulierum deprehensio erroris,quo falsò hactenus putatum fuit, partes Mulierum Genitales virorum partibus analogas fuisse , cum tamen Ova in Ovariis mulierum Recentiorum cura detexit. Manserunt tamen hactenus difficultates quædam , quæ novo & felici invento videbantur contrariæ,quibus quia ex Observationibus sæpius factis me nonnihil satisfacere posse spero , non dubitavi hoc publico notum facere,ut & aliorum inventa confirmem, & de præclara re cunctis omne dubium eximam.

Et ecce his cogitationibus commodùm Tu supervenis , Vir Clarissime , dum meam de Ovariis Mulierum & reliquis ad Generationis Historiam inde pertinentibus sententiam exquiris , quam, his paucis comprehensam , æquo animo sic accipe,

Namque Tu solebas
Meas esse aliquid putare nugas.

Jam tum in nuperis de Diaphragmate Observationibus, Parisiis editis, ubi de sanguine locutus sum,hunc pro principe parte habui,reliquas vero omnes hujus ministras, vel propellentes,ut cor, vel varios liquores sive secernendos sive secretos admittentes & emittentes, ut hepar, glandulas omnes,&c. Ita varia emergunt secrementa sive utilia, vel individuo,ut humor resolvens,vel speciei, ut seminalis liquor;sive inutilia,& ea aerea, ut vapor, aquea, ut urina, aliaque. Ut verè dici possit, omnia *secerni ex sanguine* , *per cribra* , *in excretoria vasa* , & vel in sangvinem redire vel partibus apponi,vel in alios usus extra receptaculum sang-

ſangvineum eliminari. Hinc patet omnium functionum conſervationi tam individui quam ſpeciei deſtinatarum communis conditio, dum in ſingulis nihil fiat, niſi humorum à fluido interno, ſive ſanguine, ſecretorum, per anguſtiarum ſanguinei vaſis cribra, ſingulis humoribus propria, excretio.

Hæc eſt conditio omnium functionum individui conſervationi neceſſariarum, ut latiùs alibi demonſtrabitur. Nec diverſa res eſt de iis quæ pro ſpecie conſervanda inſtituuntur.

In partium ſeminalium viæ conſideratione, habemus anguſtias ſanguinei vaſis, vaſa excretoria, ſui generis ſubſtantiam, & quod ex ſanguine ſecretum hac via excernitur.

In viris anguſtiæ vaſis ſanguinei reperiuntur in teſticulis, veſiculis ſeminariis & proſtatis: Vaſa excretoria ſunt vel confluentia in canales plures viſibiles, ut breviſſimi canaliculi proſtatarum; vel confluentia in cavitates amplas, ut illæ veſicularum ſeminalium, vel meatum longum, ſed anguſtum, ut longiſſimi duo canaliculi vaſorum deferentium.

In mulieribus anguſtiæ vaſorum ſanguineorum reperiuntur in teſticulis ita dictis communi loquendi modo, aliàs propriè ovariis dicendis, inque uteri tùm corpore tùm collo & vagina; vaſa autem excretoria tum in placentæ parte utero annexa, ut meatus excernentes materiam ovo tranſmittendam; tum præterea totus meatus à loco ubi ovum continetur in ovario, per uterum & vaginam; tum alii in vagina canaliculi, glutinoſum humorem, pro ſemine muliebri habitum, ſuppeditantes. Parenchyma vero eſt & placentæ utero cohærentis, vel potius ex utero protuberantis, propria ſubſtantia, & alia proſtatis virorum

analoga. Nam an ovarii propria ſubſtantia ovis circumfuſa huc referenda ſit, dubito.

Quod vero ſpectat organa Generationis in mulieribus, conſiderandum eſt eoſdem hic errores commiſſos eſſe, qui & aliis partibus familiares ſunt, nempe ex partium Analogia non recte inſtituta. Nimirum quia plerique vix facta levi paucarum circumſtantiarũ obſervatione, ad ſimilium rerum analogiam illico ſe conferunt, & quod obſervationi deeſt, ex aliarum rerum ante, & nonnunquam perperam, perceptarum idea ſupplent. In proprio cerebro ſyſtema ſibi formant, ad qvod viſcera ex placitu proprio diſtinguunt, & ita ex nonnullis ſolùm partibus corporis ejusdem naturæ conſideratis, genus ſibi formant, priuſquam omnes, quæ ad hoc reducuntur, ſpecies exactè examinarunt. Hoc facto partes corporis quæ ad genus illud, in cerebro eorum natum, reduci nequeunt, ejusdem eſſe naturæ non induci poſſunt ut credant. Quemadmodum hepar pro glandula habere nequeunt, quia aliis, quas glandulas illi appellant, neque colore neque magnitudine reſpondet. Attamen unde illi, niſi ex præconcepta opinione, exploratum habent, reliquas, quas ipſi putant glandulas, hoc nomen juſtius quam hepar mereri?

Nec aliter orta eſt, quod alibi monui, de carne muſculoſa æquivocatio, quam habuerunt pro ſubſtantia tomentoſa replente ſpatia fibrarum in muſculis, unde per analogiam applicuere eandem vocem reliquis ſimilibus ſubſtantiis. Cœterum ſi per carnes intelligimus (verba jam refero quæ alibi propoſui) partem ſenſibilem non fibroſam & mollem, tantum unius generis reperietur caro quà ſubſtantiam, licet quà colores variè dividi poſſit. Nec enim alibi reperitur quam circa anguſtias ſeu vaſa capillaria receptaculi ſanguinei, cribra ſeu viſcera conſtituentis

ut in hepate, glandulis aliis, cerebro, &c. Differentia autem à colore desumenda incerta erit, non solum ratione diversorum animalium, sed & ratione diversitatis temporis in eodem animali. Nam in eodem hepate interdum rubet, interdum flavescit, & arte omnia viscera alba reddi possunt. Quod si talem carnis ponamus significationem, vera caro musculorum sub illa non comprehendetur. Quare substantiam mollem non fibrosam appellabimus parenchyma, sive glandulosum sive alterius naturæ, & carnis nomen reservabimus soli parti fibrosæ, molli, aptæ ut in seipsam contrahatur, quæque nullas nisi cum tendinibus utrinque angulos habet. Quæ omnia quamvis in Corde deprehendantur, fuere tamen alii qui peculiarem & sui generis substantiam cordi tribuerunt, quia sibi persvadere non potuerunt, cum musculis id quicquam habere commercii, cujus fibræ non secundum rectam lineam extensæ sunt. Cum tamen considerandum fuisset, illud ex musculi essentia non esse, quemadmodum in aliis musculis apparet, quorum fibræ non omnes eadem via incedunt.

Ita, inter plures ex Analogia non recte instituta ortos errores, hic etiam invaluit, quod in Mulieribus voluerint partium genitalium analogiam instituere cum partibus genitalibus uirorum, & neglexerint analogiam instituendam inter partes genitales fœminarum omnium specierum quæ hactenus natæ. Hæc enim analogia evidenter demonstrat diversarum specierum fœminas saltem in eo convenire, quod contineant primò *Ovarium*, seu vesiculas inclusas membranis, habentibus vasis sanguinei angustias & sui generis substantiã, unde & sponte separantur tempore convenienti, & per artem illæsæ extrahuntur; Deinde *Oviductum*, seu canalem patentem & versus ovarium & extror-

extrorſum, qui in quibusdam ſimplex eſt, ut in **Avibus**, in aliis duplex; Et ubi duplex eſt in quibusdam circa medium diviſus eſt, ſed circa extremum utrinque in unicum oſtium concurrit, ut in piſce à *Stenonio* diſſecto ex canum genere; in aliis autem circa extrema interiora diviſus manet, ut in muliere & quadrupedibus.

Hæc ante me alii non ita pridem adverterunt, quæ publicis ſcriptis teſtati ſunt, *Steno*, *Swammerdam*, *Kerckringius*, *Graaf*. Cœterum quamvis ego etiam clariſſimè ova in teſticulis mulierum viderim & demonſtraverim Hafniæ, Lugduni Batavorum, Pariſiis, Florentiæ, Romæ, alibique, nihilominus remanſit mihi eadem cum aliis difficultas, quam novo invento prætendit *Diemerbroeckius*, qui ova in Ovario mulierum admittere non auſus eſt, neſcius unde tam copioſum, qui in coitu profluit humorem deduceret, niſi à teſticulis qui ſemen ſuum profunderent. Nimirum ductus quidam cœci, qui ſubſtantiam urethræ perreptant, à *Graafio* deſcribuntur, quos non ſufficientes huic muneri arbitratus ſum, ſed alios circa exitum urethræ & vaginæ orificium vidi magis patentes, quos etiam huic humori excernendo idoneos crediderim, præcipue cum attentius conſiderati originem utrinque ducere videntur à ſubſtantia quadam glandoſa, proſtatis virorum ferè analoga, vel ſane illi ſimilis, quam in urethra ductus, à *Graafio* deſcripti, perreptant. Conſpectiora hæc in Vaccis non ſemel deprehendi, in quibus ad latera vaginæ, non procul ab urethræ exitu, utrinque glandula inſignis canalé emittit, qui conſpicuo & in pupilla, quando premitur glandula, protuberante oſtio, intra vulvam aperitur, quem cum ſua glandula à nemine, uti credo, hactenus notatum, deſcripſi Lib. de Diaphragmatis ſtructura, c. 3, ſect. 5. **Illa ex plurimis glandulis conglome-**

rata

rata, fibris carneis peculiaribus & propriis undique investitur, unde magnum naturæ secretum deduxi, quod cum non nisi tempore coitus, vel irritationis, hic humor abundet vel excernatur, non reperiri possint ostia nisi cum papilla protuberet; ideoque, quia humor excerni non potest, nisi protuberante papilla, addidit Natura fibras carneas, quibus in actu venereo, cum liquor excernendus est, premerentur glandulæ, ut papillæ protuberarent. A sphinctere vesicæ videntur hæ fibræ carneæ oriri quemadmodum & virorum prostatas à musculosis fibris superimpositis, à sphinctere vesicæ oriundis, contrahi asserit *Regn. de Graaf*. Ipsa glandula, quæ utrinque conspicitur ex plurimis aliis conglomerata est, ex qua excretoria exeunt ampla & in papillam illam terminantur, quæ protuberat quando glandula premitur, aliàs in se retracta vix sui vestigium relinquit. Ductus illos excretorios, si per ostium, ubi exonerantur, intromisso tubulo inflentur, amplos reperies & in varios insignes ramos divaricatos, qui ejusdem ferè ubique sunt crassitiei usque ad extremum glandulæ, secus ac in aliarum glandularum ductibus excretoriis observatur, qui in varias ramificationes sensim decrescentes (scilicet à substantia glandulæ emergentes) terminari solent. Hos autem potius vesiculas seu sacculos oblongos dixeris glandulis interjectos à quibus humor in glandulis secretus excipitur & excernitur.

De vaccinis glandulis loquor quas ita in Observationibus de Diaphragm. descripsi, quemadmodum constitutas scrutatus sum non semel Parisiis cum Amicissimo *Josepho du Verney* Regio Parisiensium Anatomico. Adeo ut hinc confirmetur *Galeni* sententia, qui lib. 14. de usu Part. ex Herophili decreto; proinde ac in viris, fœminis etiam

F glan-

glandulosas prostatas inesse scribit. Cum tales etiam ego Florentiæ in sectione fœminini cadaveris in Nosocomio S. Mariæ Novæ, observaverim, præsentibus mihi amicissimis *Stefano Lorenzini*, & *Bernardo Benvenuti*, utroque magno Naturæ Amasio. Sed nulla hic, ut in vacca, protuberabat papilla. Presso glandoso hoc corpore viscidus & pituitosus exiit humor, ex una parte unicum, ex altera duo, forte in hoc subjecto, patuerunt ostia. A vaccinis diversa fuit, primò qua ductus ramificationes, quæ quamvis hic satis copiosæ, non tamen proportione tam ampli sunt ductus, ac in vacca, cum illorum exitus hic vix nisi suillam setam admittat; deinde qua ipsam substantiam, cum hic nulla ferè glomeramina sed substantia durior, albicans, & ejusdem plane conditionis cum prostatis virorum, unde corpus glandosum mulierum potius quàm simplex glandula appellari meretur. Nec sane dissimilis illa substantia videtur in toto vaginæ ductu, quam perreptant ductus illi à *Graafio* descripti.

Immediatè situm est corpus hoc glandosum sub reticulari vasorum plexu à *Regn. de Graaf* observato, unde cum hic copioso sanguine distentus propter musculi sphincteris fibras carneas comprimentes introrsum cedat, vaginæ orificium corarctat & ita glandosa corpora premit.

Alios illos ductus, quos cœcos seu lacunas *Graaf* appellat, etiam vidi, sed ultra transversi digiti latitudinem setam non admisere, unde ulterius prosequi non potui & miror *Graafium* exemptos & inflatos descripsisse & delineasse, atqve post eum *Schraderum*.

Cœterum non diffiteri possum illos ductus quos ego supra notavi forsan etiam esse posse inter eos po-

rulos

rulos five ductus circa meatus Urinarii exitum in ipso meatu urinario à *Graafio* descriptos, quibus cum reliquis per totum vaginæ ductum repertis hunc usum tribuit, nimirum pituitoso-serosum humorem generare, qui acrimonia & salsedine sua mulieres salaciores reddit, pudendasque partes delectabiliter in coitu lubricat. De qvo notat idem, materiam illam tanta cum delectatione ex ductibus illis prosilire, quanta cum voluptate è prostatis virorum solet; ita ut non adeo alienum à ratione videretur, si effluxus ille mulierum pollutio appellaretur. Gonorrhæam etiam in mulieribus ex illis ductibus provenire posse probat *Graaf*, quia fœminæ nullum aliud semen fluidum, ut viri, in testibus habent. Atque ita difficultati, qua Ova Mulierum premebantur, obviam itur, cum hoc pacto analogia instituta inter partes genitales fœminarum, seu omnium specierum in eodem sexu, perbellè procedat, quæ ovario omnes præditas demonstrat, ut quicquid de una verum est, id & de reliquis ejusdem speciei pro certo dici debeat. De oviparis certum est, ova maris semine non nisi fœcundari, quocunque demum id modo contingat. Ita & de viviparis dicendum est, masculini seminis particulis solida corporis non conflari. Quare nollem amplius admittere ut probabile, quod multi adhuc admittunt, seminis particulas ex appulsis ad testes succis separari, fierique diversarum omniumque partium, quibus animalis corpus inde coalescit, congeriem. Quippe cum omnia ex ovo producantur (quod etiam in minimis insectis verum esse demonstravit abunde felicissimus Naturæ scrutator, & illustris Amicus meus *Franciscus Redi*) omnia ovi conditionem habent.

Ovorum species tam variæ sunt, ut ad unam naturam referri nequeant. De illis eleganter in Anatome Plan-

tarum differentem *Malpighium* huc adducam: In viviparis à primordiis in ovariis, quæ testes vulgariter dicuntur, exigua continentur ova, in quibus cicatrix colliquamenti portione ambitur, hæc autem in uterum delapsa & ibi fœcundata, adveniente ab utero nutritio succo in novum excrescunt ovum, adaucto sensim contento fœtu. In pennatis & oviparis ultra cicatriculam varii circumlocantur humores, qui uteri vices supplent, contento fœtui auctionem & nutritionem suppeditant. In insectorum & quorundam imperfectorum animalium minimis ovis, ultra cicatriculam exigua humorum moles exstat, & brevi incubata animal promunt, quod, successiva nutritione externarum partium facta mutatione, diversas subit apparentias, manifestatis & emergentibus plurimis membris & quibusdam etiam obliteratis. Alia pariter aderunt ovorum genera nobis adhuc ignota. Illud unum videtur probabile in exaratis ovorum speciebus perpetuo animalis compagem contineri in aliquibus minus complicatam, in aliis magis manifestam; reliqvum vero circumaffusæ substantiæ pro auctiva materia locari.

In seminalis plantulæ productione ovum etiam excitari arbitratur Celeberr. *Malpighius*, cujus elegantes circa Anatomen Plantarum & Insectorum Observationes exactissimas nuper deprehendi, ejus methodo edoctus, cum præteriti Anni *1676.* mensem Majum Bononiæ his naturæ operibus cum ipso perscrutandis insumerem, & viri, antiqui candoris & fidei, charissima consuetudine indies fruerer, quam semper grata animi recordatione recolere non desinam. Unde præter Insectorum Anatomes curiosissimam simul & admirandam notitiam, hunc etiam fructum reportavi, (nam de aliis quæ Plantarum reliquas partes spectant jam taceo,) quod nullo modo dubi-

dubitem cum *Malpighio* asserere, imo cuivis cupienti demonstrare, quomodo plantula, ceu amnio contenta, percolato à chorio humore sensim augetur, & varias subit formas, donec acquisita debita compage & structura, separetur & decidat à parente, suique juris facta in determinatum servetur tempus, & advenientibus exterioribus succis excitetur ad vegetationem. Adeo ut status quo quiescit seminalis plantula sui generis ovum dici possit.

Hæc autem inter Viventium & Vegetabilium ova est differentia, quod in oviparis in ovo adest alimentum & pro stamine primo pulli ante incubationem & pro nutritione pulli in incubatione, adeoque, prater incubatum, illa exterius nullum exspectent alimentum. At in Viviparorum ovis non nisi tantum humoris adest, quantum sufficit pro intestina fermentatione cicatriculæ, donec in utero ulteriùs tota auctionis & nutritionis materies exterius adveniat, quemadmodum etiam plantarum ovis accidit; In hoc tamen differunt, secundùm *Malpighium*, quod manifestior est seminalis compages, gemma scilicet & insignis radicis conus cum appensis binis foliis, quam carinæ inchoamentum, quod animalium cicatriculam occupat; & in utero novum viviparorum ovum perpetuam subit auctionem & mutationem, percolatis continuo succis à circumstante utero decidentibus.

Totum *opus Generationis*, tam in *Oviparis* quam *viviparis*, versatur vel circa *Ovi productionem*, illius *fœcundationem*, ejusdemque *incrementum*; vel circa *fætus intra Ovum productionem*, *incrementum* & *eruptionem*. Ex quibus solam *Ovi fœcundationem* ad marem pertinere certum est, reliquas verò omnes à fœmina sola dependere, licet quo

 modo

modo & quo tempore singula contingant non ita facile determinatu est.

Circa Generationem multæ & difficiles quæstiones inveniuntur. Ego sepositis aliis solùm quæ certo mihi constant hic recensebo, quorum partem alibi proposui. Certum autem est

I. Semen viri non manere in Oviductu, sed sive totum sive præcipua sui parte intra sangvinem penetrare; id quod constat & per *Harveii* experimenta, nihil in utero reperientis licet plures damas eo fine aperuerit, & communi experimento ferè omnium mulierum percipientium illicò à conceptione symptomata universalia non aliunde oriunda, nisi à mutata proportione humorum in fluido universali seu sangune.

Non ita pridem hoc proposui in *Exercitationibus Miscellaneis*. Nimirum quemadmodum vires medicamentorum externè adhibitorum sanguini communicari videmus, ita & possibile credidi, assumptorum subtiliorem partem in toto alimentorum ductu statim sanguini communicari, cum idem de spiritibus ad refocillandas vires in ore assumtis experiamur, & clysteribus, atque mercurialibus exteriùs illinitis sua vis à plerisque non denegetur. Eodem principio inductus credidi imprægnationem similiter fieri per subtiliorem seminis partem, sanguini statim eodem modo communicatam per vasa sanguinea. Unde controversiam cum *Regnero de Graaf* excussi lib. de Diaphragm. cap. 3. sect. 3. ille enim ova fœcundari affirmat semine illuc per Tubas transmisso, at ego ibidem contrarium ex propriis *Graafii* rationibus probavi. 1. Quia in cuniculis, quorum generationem observavit quotidie, primùm tertio à coitu die tubas testiculos amplecti vidit, cum tamē dimidia, uti & sexta, post coitum hora, ova testiculo-

rum immutata viderit, nulla facta mentione tubarum testiculis applicitarum. Unde patet *seminalem* quam dicit, *auram, per tubas ad ova impregnanda deferendam*, nihil esse, quia ex ipsius propria confessione *vappida evaderet*, ut alibi loquitur. 2. quod maxime nostram firmat sententiam, videmus ex relatione *Graafii*, Tubas non esse testiculis applicitas, nisi cum ovum excipiendum sit, ut nihil loquar de valvula; quam in cuniculorum tubis ipse vidit, impedientem quo minus ex utero quicquam ad oviductus deferatur. Quæ tamen ipsum movere non poterant, ut potiùs existimaverit, quò sua valeret sententia, ipsam in venereo actu vel aperiri, vel inservire crassiori seminis parti excludendæ. Sed binas tales valvulas in quolibet uteri cornu in Cuniculo certo experimento comprobare facile est, quas omni vi adactus flatus superare non potest, nec aqua ex utero penetrare per siphoné injecta, quamvis contraria via ad uterum per totum cornuum ductum nullo negotio perveniat. In animalibus quadrupedibus & præcipuè vaccis, in vagina & circa os uteri plurimæ rugæ formant diversas quasi valvulas adeo ut me per Epistolam monuerit *Malpighius*, incredibile ferè videri substantiam seminis in uterum penetrare, nec in gallinis fieri posse, ut semen Galli duabus papillulis expressum, ad ovarium ascendat, cunctaque ova aspergendo fœcundet. Quare ad simile quid recurrendum est, quod nos supra indicavimus. Diversa tamen res est in Insectis. In Bombycibus enim animadvertit *Malpighius*, semen masculinum nequaquam recipi in principio tubæ seu ovarii, sed in quodam sacculo laterali, & ita per ductum peculiarem ova in transitu semine ibi asservato aspergi, & illa quæ in hoc transitu aspersionem seminis non recepêre, nequaquam fœcun-

fœcunda esse, quod pluribus experimentis confirmavit, felicissimus in his indagandis, *Malpighius*.

II. Certum est post conceptionem à fluidis universalibus sive sanguineo solo, sive fluido simul nervoso, mutata quædam ova intra oviductum recipi, id quod cum in avibus, piscibus & serpentibus fiat per patens ostium oviductus, abdominis cavitatem respiciens, non dubitandum est quin in quadrupedibus & mulieribus eodem modo fiat, præcipuè cum 1. nulla alia è testibus in uterum detur via. 2. Tubæ orificium fibris motricibus instructū esse evidentissimum sit. 3. Illud ipsum testiculum seu ovarium amplecti non rarò observetur. 4 Non infrequens sit in Tubis ova delapsa reperire; denique 5. Orificium Tubæ Fallopianæ ejusdem in utroque genere nempe avibus & quadrupedibus omnibus, figuræ sit, si in aqua consideretur, ubi foliaceum Tubarum ornamentum, *Graafio* ita nominatum, eleganter se explicat. Id quod etiam illustrant fœtus extra uterum reperti, de qua re elegantem observationem, Venetiis à Cl. *Iacobo Grandio* factam, delineatam mihi monstravit *Franciscus Nazarius*, in Naturæ scientia versatissimus ubi non solum fœtus extra uteri cavitatem cernitur, sed & ovum delapsum, in quo primum rudimentum fœtus visum asserit.

III. Maternum sanguinem sub forma sanguinis nunquam penetrare aut membranas ovi (ovi nomine intelligo non modo rotundas vesiculas humore plenas testiculorum maximam partem constituentes, sed & easdem, ubi in oviductu in membranas fœtus cum omnibus suis contentis excreverunt) aut in sanguinem fœtus, id quod demonstratur tum primis à conspicuo in oviductu ovo diebus

bus,ubi ovum omnino liberum reperitur,tum circa instantem partum quando placenta vel cotyledones in duas partes dividuntur una adhærente ovo altera adhærente utero, nulla sanguinis guttula in illa divisione observanda. Quod ipsum experimento evidenti,per injectionem aquæ, confirmo,in *Præparat. Viscer.* Tractatui de Diaphragm. adjunctis,à me prolato. Hanc etiam opinionem præmonui in *Exercitationibus Miscellaneis* Lugduni Batavorum impressis.

IV. Fœtum nutriri & augeri seroso humore per placentam à sanguine Matris in sanguinem fœtus transmisso & per superficiem externam fœtus iterum excreto,iterumque per os assumpto;qui continuis circulationibus à superficie externa in internam, & vice versa sui partes transmittit, donec quicquid ibi fuerit augendo corpori utile singulis partibus accreverit, reliqua verò excrementitia & acriora reddita fœtum inquietum sui stimulatione reddunt, quo motu uterus ad excretionem irritatur.

De prima origne humoris amnii controversia est, Qua in re non parum tribuendum existimo sententiæ Doctissimi *D. Sylvestris Bonfilioli*, in Anatomicis versatissimi, quam à præclaro Amico Bononiæ coram accepi. Ille enim humoris in amnio contenti principium ab ipso ovo petendum censet, non secus ac vitelli principium in ovo gallinaceo præexistit.

Quemadmodum ita viventium fœtus per os & umbilicum nutritur,ita & vegetantium(seu plantula seminalis in stylo qui in diversis varius est, sed in omnibus utri vicem supplet)duplici via augeri videtur ex nuperis Observatiobus Amici Celeberrimi *Marcelli Malpighii*, quæ consuli possunt, Londinensi prælo non ita pridem commissæ.

Cœterum quidnam sit quod post fœcundationem ovum

ad exitum disponat, & quomodo in mulieribus membrana ex ovarii vasis constructa, pro augmento ovorum se extendens & iis elapsis se contrahens, pro transitu ovi aperiatur, altioris est indaginis. In quo præ reliquis penè omne punctum tulisse mihi visus est Anatemicus industrius *Regnerus Graaf*, cujus recentem mortem ubi primum in Belgium veni, ægrè merito tuli. Ex illius observatione constat, prodire ova imprægnata in testibus, quatenus post coitum tunicæ multis sanguineis vasis opacæ conspiciuntur, & sequenti tempore inter tunicas illas glandulosa materia globuli figuram repræsentans & sensim accrescens ovum undique comprimit, illudque perforamen ex ejus medio conspicuum expellit. Quod in cuniculis tertio die fit; in iis animalibus, quæ diutius uterum gerunt, tardius, unde judice *Graafio*, falluntur, qui humanos fœtus 3. 4. vel 8. dierum invenisse se gloriantur. Foramen illud per quod elabitur ovum, papillam vocat prædictus Autor. Immediatè ante & post ovi expulsionem reperitur, in vaccis stilum in cuniculis setam admittit. Inde concluditur, ex magnitudine ovi de ejus maturitate judicari non posse, quod forsan alii temere facerent, cum ova è Testibus excludenda vel jam exclusa decuplo minora sint aliis adhuc in testibus hærentibus; quia ibi existentia adhuc aliam materiam complectuntur, illam scilicet ex qua glandulosa folliculorum substantia provenit. Plerumque post elapsum ovum tardè obliteratur hæc substantia, quæ in diversis diversi coloris est, in plerisq; subflavi. Hoc corpus in fœmina sex mensibus gravida observavit *Swammerdam*, quæ post gemellorum partum perierat. In cujus testiculo sinistro quasi quædam inflammatio, præterea notabilis cicatrix erat, qua divisa corpusculum heterogeneum subflavum & fibrosum duplici fove-

foveola præditum sese obtulit; quia nempe gemellos pepererat. De qua observatione vide plura in *Schraderi*, Medici Amstelodamensis, Præfatione ad *Harvei* Generat. Animal. Talia etiam mihi Amicissimus *Fridericus Ruyschius*, dexterrimus Amstelodamensium Anatomicus eleganti figura publici juris facta, ex sectione gravidæ mulieris nuper adumbravit. Ego qui hæc sæpius in quadrupedibus evidentissime vidi, & non semel tùm alibi, tùm Parisiis in vaccis attentiùs examinavi cum Amico *D. Josepho du Verney*, in Anatomicis versatissimo, non dubito quin glandulosũ hoc corpus post imprægnationem, ovo succrescat, ut illud, rupta testiculi membrana, extrudat in tubas, excipiendo ovo aptas, & ideo fibris motricibus instructas. Et quis non hic summam Naturæ Autoris providentiam miretur? Sed ut hoc apud me certum & indubitatum est, non alium in finem hanc substantiam post fœcundationem ovi apparere & succrescere, atque post elapsum ovi sensim evanescere, ita hactenus, saltem mihi, ignota sunt sequentia, 1. Unde illa materia, quæ in glandulosum hoc corpus succrescit, derivetur, an à vasis sanguineis suppeditetur an in ovo præexistat, quod probabiliùs, quia, illa accrescente, decrescit ovum. Et quo modo semen virile ita ovum alterare possit, an præcipitando partes aliquas, an alio aliquo modo. 2. Quomodo rumpatur ovarij membrana, an sola corporis hujus magnitudine, an quovis alio modo. 3. Quò deinde abeat materia hæc, post elapsum ovi evanescens. & unde absorbeatur, an à vasis sanguineis, si illis originem debuerit, an aliter.

Non ita pridem per literas à me consultus Amicissimus *Malpigius*, ex fibris carneis circa ipsa ovaria fœminarum reperiundis, separationis causas petendas rescripsit, quæ

tractu temporis comprimere possent vasa ad ovum adultum euntia, & ita impeditis quodammodo alimentis corrumpi caulem, quemadmodum in aliis fructibus, uti ipsius verba, in Epistola Bononiæ 1676. d. 23. Decemb. Romam ad me scripta, ostendunt: *Circa ciò ch' ella mi chiede, non posso sodisfare alla sua curiosità, essendo gran tempo che hò tralasciato simile curiosità divertendomi nello studio delle piante. Pure le dirò così allò sfuggita, che l' ova probabilmente crescendo si vengono à separare dall' ovaia, e se ben mi ricordo, credo vi siano intorno all' ovaia delle femine fibre carnee, le quali con il tempo possono comprimere i vasi, che vanno al ovo cresciuto, e così impedendosi l' alimento in un certo modo, si corrompe il gambo, come accede ne i frutti, e le stesse fibre carnee constringendosi, causano lo staccamento: Come poi s' insinui nella tuba, io sò, ch' in essa ui sono lacerti carnei. quali li danno moto & apertura, come necessariamente si fà nelle galline.*

Quarecum ea quæ de semine fluido in Testibus mulierum de vasis deferentibus &c. antiqui finxerunt, & hodierni nonnulli retinuerunt falsa sunt, cum in viviparis quemadmodum & oviparis, ovorum atque oviductuum eædem sint conditiones, conformatio atque connexio, non improbabilem, quin imo demonstrabilem haud immerito crediderim assertionem nostram, quod vera sit analogia, quæ inter fœminarum testes, omnium specierum, instituitur, *Ovaria* posthac tàm in viviparis quàm Oviparis dicendos. Ut jam potius inquirendum sit quomodo ad generationem masculus concurrat, cum eadem quæstio de fœminis Antiquos jam satis diu fatigaverit, quemadmodum optimè monet Amicus meus Præclarissimus *Franciscus Nazarius* in Literator. Ephemerid. 6. Romæ An-

Anno 1669. edit. pag. 88. ubi refert Historiam fœtus Parisiis reperti in Tuba dextra uteri.

Atque hic habes, Clarissime *Riva*, quæ de Ovariis mulierum & ex iis dependente Generationis Historia hactenus mihi ex propriis & aliorum principiis certò constant. Habes etiam breviter illa de quibus dubito & quæ inter ignota mihi retuli. Ipsam de his excute naturam atque exta animalium haud gravatus consule, certus sum Te ea quæ pro certis venditavi non invitum confirmaturũ. Unum jam tum prævideo, duplici mulierũ semini, quod in privato nostro colloquio ex aliorum mente prætenderas, superius satisfactum esse; unum nempe ad voluptatem alterum ad fœcundationem. Primum corpora glandosa, seu si prostatas appellare libeat, cùm reliquis in vagina ductibus suppeditant, hoc nullum datur præter ova quæ in Testiculis Mulierum, rectiùs jam *Ovariis*, reperiuntur, ab hydatidibus, quæ sæpe ovorum specie aliis imponunt, sola coctione facile dignoscenda, quod coctis ovis in albumen concrescat contentus liquor, sed hydatidum liquor coctione non facile indurescat. Alias notas addit *Graaf*, quibus hydatides in testibus differunt ab ovis. 1. quod à testiculorum membranis veluti pediolo propendeant. 2. duplici constant tunica, quæ facilè, contra vero ovorum tunicæ difficile separantur.

Atque hæc ex propriis, & Amicorum observationibus deprompta citius in chartas conieci, quàm coquuntur asparagi. Tuum erit, Clarissime *Riva*, ea æqui bonique consulere, quæ amicum animum testabuntur. Si digna visa fuerint, aliis communica, sin minus, æterna nocte sepul-

sepulta absconde, nihilosecius de meo affectu tacitè locutura. Vale.

Raptim scripsi Romæ d. 12. Jan. Anni ineuntis. M. DC. LXXVII.

Casp. Bartholinus Thom. F.

XIV.

De Ovariis Mulierum Dubia Soluta.

Ad *D. Gerhard. Blasium* Med. Prof. Amstelodamensem.

NOndum excidit animo memoria gratissimæ consuetudinis Tuæ, quam insigni cum voluptate conjuctam expertus sum, dum me Belgium vestrum teneret. Quod Tu mei exinde per trium annorum intervalla memor fueris, pro magno affectus Tui, mihi & Parenti meo sæpius probati, documento interpretor. Corpore quidem à te in Galliam, Italiam, Germaniam, licet ægrè, divulsus sum, non animo. Grata enim elapsi temporis recordatione semper delectatus, quasi ad præteritam tecum consuetudinem redire mihi visus sum. Non destiti tamen subinde literis defectum præsentiæ supplere, & earum commercio obrepens identidem Tui desiderium lenire. Nunc, Deo gressus dirigente, Patriæ meæ dulcissimæ redditus, commodum offendi ultimas Tuas ad me datas, ex quibus quod de secundo statu Tuo certior factus sim, magno mihi gaudio est. Ut verò scias, quàm prompta voluntate jussis Tuis obsequi allaborem, mitto Tibi, quem desideras, Tractatum meum de Diaphragmate, Parisiis non ita pridem editum, una cum Epistola, quæ experimenta quædam de nervoso genere & motu musculorum in Ranis exhibet. Illis insuper adjungo Romano prælo commissam

ſam Epiſtolam de Ovariis Mulierum & Generationis Hiſtoria. Fortaſſe miraberis, Vir Clariſſime, me poſt tot Homeros quaſi Iliada ſcribere velle, & rem Obſervationibꝰ Anatomicorum jam tum firmatam, nunc demum in publicum protrudere. Sed non miraberis, ſi ad occaſionem, quæ me ad ſcribendum impulit, attendas. Fateor ante me alios ova in Teſtibus mulierum primò deſcripſiſſe, & hujus inventionis gloriam *Stenonio, Kerckringio, Swammerdammio, Graafio*, ingenuè defero. Sed mecum ipſe non ignoras relictam eſſe difficultatem, quam novo invento obvertit *Diemerbrochius*, unde niſi à Teſtibus, humor in coitu profluens proveniret, cujus ego fontes paulo manifeſtiores quàm deſcripſit *Graafius*, inveni. Nec hæc obſervatio tanti mihi fuit, ut ideo pennam inſtruxiſſem, niſi ad hoc compulſus fuiſſem ab Amico Clariſſimo *Guilielmo Riva*, cujus extant apud Romanos præclari in Anatome illuſtranda conatus. Illius rogatu rem hanc illuſtrandam ſuſcepi, quæ adhuc pleriſque Romæ viſa eſt quaſi incredibilis. Ego obſervationibus aliorum & propriis ſtabilitam Generationis Hiſtoriam Epiſtola comprehenſam ipſi tradidi, in eorum gratiam, qui hanc de Ovariis Mulierum obſervationem nondum intellexerunt. Non illam intellexiſſe quoſdam, qui aliàs magno, ſed inani, faſtu turgent, evincam. Prodiit nuper Patavii Anno 1676. in 4. *Hieronymi Barbati* Diſſertatio Anatomica, *de Formatrice, Organizatione, conceptu & nutritione fœtus in utero.* In qua, quæ de ovariis mulierum profert, breviter examinabo cum forte nondum ad manus Tuas pervenerit.

Pag. 69. ita loquitur: *in fœminarum teſtibus reperiri ova & aſperſione virilis ſeminis fœcundari teſtatur Graefius L. de mulier. Organ. quam opinionem ſpecioſo certititudinis titulo ſtatim inſignivit Malpighius, ſolitus alioquin de ſingu-*

ſingulis dubitare. *Aſt quæ in teſticulis æmulantur ova ſunt glandulæ ovales ; illa quippe* (ſcilicet ova aliorum animalium) *liquoribus inveniuntur plena hæ* (ſc. ovales glandulæ, ipſi appellatæ, quas ſpecie ovorum in Teſtibus impoſuiſſe credit) *plerumque extant inanes, quique humor in his aliquando luxuriat, æſtu minime concreſcit ; illorum verò* (ova aliorum animalium intelligit) *ſubſtantia ſecundum omnes ſui partes ſemper coagulatur ab igne.* Vera hæc de ovis in genere dicit, qvod ab igne illorum humores concreſcant; at ejusdem planè naturæ ova, quæ in teſtibus mulierum reperiuntur, illum nunquam vidiſſe, Jovem lapidem jurarem. Verum hydatides, quæ ibi plerumque non infrequentes ſunt, pro veris ovis ipſum ſumpſiſſe liquet, & ita magnis excidit auſis, qvum illarum liquor coctione non facile indureſcat; non ita autem ova in mulierum ovariis, quæ ad ſui generis naturam igne concreſcunt. Ignoſcerem huic errori, niſi etiam limatum oculatiſſimi *Malpighii* judicium in dubium vocaſſet, talis enim ille mihi dudum cognitus eſt, ut nihil temerè credat. Anne ideo reus adduci meretur & malè audire ? Maluit quondam Magnus Alexander videri nimis timidus, quàm parum prudens.

Pergit ibidem *Barbatus* his verbis : *Quod perhibet fig. 2. lit. R. Graefio videbatur ovum, & extractum oſtendit fig. 4. ſed eſt evidens glandula, diſſecta enim intus habet protuberantias, expreſſas fig. 5. lit. SS. Sicut cæteræ glandulæ.* Ad vim hujus argumenti attendat accuratus Lector. De crudis ovis loquitur in quibus humor ex ipſius propria confeſſione aliquando luxuriat, qui æſtu minimè concreſcit. Quod ſi verò in nondum coctis ovis intus protuberantias mihi monſtraverit ut in reliquis glandulis, jam mihi magnus erit Apollo, quia hoc falſiſſimum judico. Sed illum

illum ita deceptum credo, quod, quia corpus illud glandosum, post ovum elapsum nonnunquam in testibus remanens antequam evanescat, ignoravit, hoc pro vero ovo sumserit. Nam hujus dissecti facies vix à reliquis glandulis diversa est.

Porrò ova humana impugnat *Barbatus* : *Imo*, inquit, *si foret ovum, quod negamus, testium tot devinctum vasis, quomodo commearet in Tubas.* Hoc argumentum invictum esset, si *Barbati* arbitrio staret natura & caderet, atque ipsum solum à consiliis haberet. *Barbatus* modum ignoravit, quia non satis investigavit, quomodo è testibus liberetur ovum, ergo omnino non liberatur. Misera certè hæc veritatis conditio foret, si propter quorundam ignorantiam semper lateret. Alios ductus è testibus in uterum dilatatos, fig. 2. q. q. ab ipso indicatos, ibidem descripsit, quos *Barbato* notissimos ipsi naturæ maximè ignotos constanter affirmo.

Nec felicius pag. 40. mulieribus prostatas glandulosas denegat, quia nullius usus fore affirmat, argumento ex viris desumpto, de quorum prostatis, quot verba tot figmenta proponit pag. 40 : *Prostatarum radices ab arteriis nascuntur, per corpus penis expansis, unctuosam non extravasati sanguinis humiditatem intra prostatarum cavitatem adducentes, quæ musculorum superimpositorum compressione in alios pellitur albescentes ductus ad glandem usque sub urethræ tunicâ expansos, rotundasque penis dein innumerabiles ingreditur fibras, ubi calore arteriarum fit tenuior, sique venereis imaginibus, cogitationibus aut delectabili contactu accendatur sanguis, extenuatur magis fibrillarum humor, ac vertitur in flatus, quibus erigatur tenditurque colis,* &c. Hanc glossam, in cerebro ejus natam, quivis facile refellere potest, qui vel semel consideraverit, cor-

poris glandosi varios ductus, ad latera carunculæ magnæ, ubi terminantur ostia deferentium, sese in urethram exonerare, qui exiguis carunculis obturatur, quales in homine 10. in canibus circiter 90. numeravit *Regn. de Graaf.* Taceo quod de vesiculis seminalibus ibidem valde absurdum affert *Barbatus*, dum illas idem peni præstare credit, quod vasa lymphatica reliquis partibus. Quem errorem inde processisse judico, quod non rectè reliquorum lymphaticorum originem, progressum ac usum novisse videatur.

Possem circa alia in dicto libro refellenda, eandem mihi in ipsum licentiam sumere, quam ille sibi in alios sumsit, nisi hoc jam agere nollem. Prætereo enim quæ de Parente meo parum justè loquitur in *libr. de sero sangu.* cum res illæ tam claræ sint, ut responsione mea non indigeant satis superque ab aliis ante me vindicatæ. Non semel in hoc tractatu *de fœtus nutritione* immeritò *Bartholinum* lacessit, ut pag. 17: *Displicet*, inquit, *quod Autor ille ignotum per magis ignotum doceat; non enim declarat, quid per spirituosam seminis substantiam intelligi debeat.* Ita & pag. 88: *At veterum facultas, quam admittit Bartholinus, non intelligitur de qua fusius qui loquuntur, circa ens versantur imaginarium, aut non satis se explicant.* Cæterum videat *Barbatus* an magis intelligantur quæ ipse passim in hoc suo opere usurpat. Pag. 1. *prolifica seminis virtus, effingentis animæ latens essentia.* Pag. 4. *Efficiens naturale in semine præexistens.* p. 6. *vis formaliter effectiva.* p. 8. *vascula testium quibus formator extrahitur spiritus.* p. 104. *Prout magis vel minus formator spiritus operi aptus est.* Nam integras paginas omitto, quas innumerabilibus Autorum testimoniis oppletas edisserit de *Spiritu insito, calido innato, causa sexus, specifica similitudine, similitudine indi-*

individuali, recta fœtus organizatione, &c. De quibus illi hocidem respondebo, quod ipse usurpat Pag. 4. ubi varias Autorum *de formatrice* opiniones recensuit: *At quid hæc præter nomina?* Et Pag. 17. de alicujus sententia inquit: *quibus nihil docemur, suntque voces inanes.* Nescio sanè an rectius hæc intelligantur, quam illa quæ ex veterum placitis attulit *Bartholinus.* Quippe unicum addam quod ad defensionem Parentis mei hoc loco sufficiet, me à quovis, Parentis mei *Anatomen*, toties *Reformatam*, pervolvente velle in ea tres ætates distingui: Primam, quando Institutiones primò ab Avo meo scriptæ sunt, methodo, ex more seculi, Galenica, cum penè nefas esset extra veteres quicquam sapere: Secundam, cum jam paulatim è tenebris emersit, experimentis nonnullis firmata & semel atque iterum illustrata à Patre meo: Tertiam, ubi nunc in clara Anatomes luce nihil temere creditur, nisi experimentis firmatum, ad usum rationis accommodatis. Ita Parens meus illa omnia abundè tam à se, quàm ab aliis acquisita, ad Anatomen priorem contulit; paucis ex pristina methodo immutatis, ut utrorumque curiositati satisfieret, & eorum qui veterum placita, & eorum qui Neotericorum experimenta desiderabant. Atque hac via progressus in Anatomes Reformatione, quia fundamento Galenico Patris sui, ut tunc erant tempora, ab initio reliqua superstruxerat, non potuit quin terminos quosdam retineret, postquam semel Parentis sui Institutiones ad genium seculi prioris scriptas, edendas & illustrandas sumserat, Nunquam autem, quemadmodum ex scriptis ejus liquet tantum dedit præconceptæ ex Antiquorum scriptis opinioni, quin hac veriora, tam à se quàm ab aliis detecta, potiora semper habuerit, ubique demonstrationes admittere paratus. Non ita autem alii nonnulli animati sunt,

 qui

qui veritatem potius ipsam, quam scripta sua, toties ac Pater meus, reformare velint.

Sed de his plura jam non addo. Tu vale, & favere perge Tuo Bartholino.

Scripsi Hafniæ d. 26. Nov. 1677.

Casp. Bartholinus Th. F.

XV.

Antipathia singularis, nomen proprium aversantis.

OBerrabat apud nos aliquando juvenis quidam, Olaus dictus, è Cimbria, ni fallor, oriundus, cujus res ad peram & pallium, quod dicitur, jam redierant. Hic proprium suum Nomen tanto (quod mirari liceat) prosequebatur odio, ut à quovis, qui illum noverat, peteret, suo parceret nomini, nec ipsum nominatim compellaret. Ultrò paruère qui mores hominis didicerant. Ubi autem in alios incidebat, qui, vel per imprudentiam, vel ludos faciendi gratia, Olaum inclamabant; primâ quidem vice compellatus perhorrescere cœpit; iteratâ, caput concutere ac varia indignantis & fastidientis signa proferre; quod si autem molestius instarent, in obvia quævis suo capite sæviens, imò nec muris nec lapidibus parcens, corruebat actutum, ceu Epilepsia vel Apoplexia correptus. Cætera sanus. Sed quæ causa hujus Antipathiæ? Quid si statuamus hoc odium ipsi, ex Matris gravidæ imaginatione, nomen hoc nato olim imponendum nullatenus admittentis, implantatum esse. Novimus quippe liberorũ nomina patri cum *Matre* non semper convenire.

Georg. Hannæus.

XVI.

De Vero Olfactus Organo

Ex *Caspari Bartholini* Thom. Fil. Disquisitione Hafniæ xxvi Febr. 1679 proposita.

OLfactum hactenus plerique adscripserunt processibus mamillaribus cerebri odoras scilicet evaporationes per cribrosi ossis foramina ascendentes in eosdem irrũpere & odorum sensum procreare, uti etiam inter Recentiores nuperrimè odoratum explicavit *Laur. Bellini* de Gust. Org. cap. 14. At si structuram Nasi & in eo latitantium ossium spongiosorum cum membranis involventibus ritè in variis examinemus animalibus, præcipuè iis, quæ hoc sensu reliqua antecellunt, longe nobis alia de Olfactus organo sententia erit.

Nimirum per numerosas istas ossium spongiosorum lamellas membranis involutas, id effici putat Celeberrimus *Steno*, ut facilius per ambiens fluidum diffusa corpuscula sensum istius partis afficiant, dum id lamellarum, qvæ membranis investiuntur, numerus præstat, ut in exiguo spatio magna fit superficiei extensio, adeoque receptum ambiens fluidum varieque inter lamellas divisũ magnam corporis superficiem contingat, ut eo plura ambientis corpuscula in eam partem agere possint.

Et sic novum Odoratus systema nascitur, quod ipsum naturæ artificium confirmat, cum observentur officula hæc narium spongiosa cum membranis suis eo numerosiora esse, (adeoque per spatiola intermedia transitum fluido dare copiosiorem) quò perfectius in odoratu & sagacius animal experimur. Suscepimus itaqve paulò exactius hanc de vero olfactus organo sententiam explicare, primùm à *Stenonio* propositam in Element. Myolog. specimine,

mine, ubi observata refert in pisce ex canum genere. Sponte autem omittemus diversas aliorũ hac de re opiniones, qvas plurimas congessit *Schneiderus* de osse Cribrif. Optimè *Thomas Willis* olfactus organum dicit ramificationes processuum mamillarium, sed in membrana ossium spongiosorum expansas. Malè vero alii pleriqve eosdem processus mamillares ita organum dicunt, qvasi per ossis cribrosi foramina elevata corpuscula odora, ibi nervos afficiant. Quemadmodum *Molinettus* de Sensib. Cap. XI. perperam negat aërem corpusculis odorabilibus perfusum, in naribus nervum attingere, *priusqvam*, inquit, *in os irruperit ethmoides, Latinis cribrosum, quod multis foraminibus pervium processus mamillares recipit.*

Qvomodo Respiratio ad Olfactum concurrit.

PRima mutatio quæ nato animali accidit est Respiratio seu potius prima actio, quæ ad conservationem individui instituitur. Illam duplex præcipue sequitur effectus, 1. dum aliquid ab aëre separatum sangvini miscetur, quodcunque demum illud sit, 2. Dum excrementum sangvinis in Pulmonibus secretum hoc modo excernitur.

Est autem excrementum Pulmonum congeries particularum invisibilium, à sangvine secedentium, qvæ dum per pulmones transeunt simul cum sanguine, inde per vasorum capillarium poros, ope materiæ subtilis, exportantur extra corpus. Hoc pulmonum excrementum vel densius est & aqueum, vel rarius seu magis dilatatum & aëreum. Utrumqve utriqve generi animalium commune est. Namqve & aqvatilibus quibusdam aëreum excrementum intra vesicam colligitur & aëreis aqveum excrementum, dum in utero vivunt, per pulmones excernitur.

Eli-

Eliminatur autem extra corpus duobus modis hoc excrementum, uno, per solam novi excrementi successionem, id quod omnium animalium excrementis commune est, qvamdiu intra uterum in fluido aqueo continentur; altero, per fluidi externi (sic enim vel aërem vel aqvam appello in quibus degit animal) imprægnati excrementis pulmonum perpetuam mutationem. Hæc mutatio fit ope fibrarum motricium, quæ fluidum illud respirationis impellunt, sed non eadem in omnibus animalibus via. In aquatilibus enim motu directo, quod ore hauritur, per branchiarum spatia emittitur. In reliquis autem motu reciproco eadem via, per laryngem scilicet, modò admittitur novum modò admissum iterum emittitur.

Respirationis quidem præcipuus usus est liberare sanguinem excremento, quod in Pulmonibus secedit; sed eadem etiam occasione utimur ad odores percipiendos. An sine respiratione fieri possit olfactus non disputabo, saltem hunc sine illa non fieri certum est. Animadvertit *Galenus* cap. 2. de Odor. Instr. nullum odoris sensum nisi spiritu naribus attracto moveri, quanquam ipsæ nares vapore etiam vehementer olente repletæ sint. Cujus rei ratio evidens esse potest, ubi attendimus non debere omnino communicari nervis vel percipi illas particulas, nisi quando aërem inspiramus quippe reliquo tempore tantum abest ut possint percipi odores etiamsi corpora odorata in naribus intrusa sint, ut potius in exspiratione cum aëre extra corpus pellantur particulæ illæ, quæ odoris sensum movere deberent. Ideoque falsum putat *Casserius* Lib. III. Pentæsth. §. 2. cap. 3. quod odor naribus suppositus retento spiritu non sentiatur, & eos, qui hoc experiri se credunt, sibi ipsis imponere. Nam spiritus eo modo

reti-

retineri nequit, ut non vel aliquid exeat vel intret: Si intrat, attractionem odoris juvat: si exit, introitum halitus odorabilis prohibet, quinimo ipsum ab organo fugat ac repellit. Concedit autem *Casserius* olfactum sine Respiratione non quidem fieri, sed forsan fieri posse, illamque non ut fiat, sed ut melius fiat necessariã esse, scilicet ut citius & copiosius objectum ad organum perveniat. Qua verò ratione Respiratio particularum odoriferarum perceptionem promovet nunc examinabimus.

Totum fluidum Respirationis, sic enim aërem appello, qui in respiratione eo præcipue fine movetur, ut pulmonum excrementa auferantur, reciproco motu propellitur modò à thoracis & abdominis superficie in asperam arteriam, ab extra introrsum, modo à superficie asperæ arteriæ ab intra extrorsum. Adeoque in illo tres partes distinguere licet, quarum extremæ ampliores sunt & earum una superficiem pectoris & abdominis, altera superficiem ramorum asperæ arteriæ in pulmonibus tangit; media pars angustior est & narium atque oris cavitatem implet.

Causa impellens totam hanc aëris molem in motu reciproco, sunt musculi thoracis & abdominis, cum diaphragmate respirationi dicati, qui modo immistas aëri intra asperam arteriam fuligines unà cum portione aëris expellunt, qvando scilicet suo motu in exspiratione asperam arteriam breviorem & angustiorem reddunt; modò immista aëri externo corpora cum aëre introrsum pellunt, quando iidem asperam arteriam in inspiratione longiorem & ampliorem reddunt.

Ita qvod expellitur exit auctum excrementis Pulmonum, qvod impellitur, secum fert partim aliquid aëris, qui nuper expulsus est, partim aliquid novi aëris, nec enim nisi

mini.

minima pars expulsi iterum repelli potest. Dum enim per angustias nariũ & oris propellitur in aëris externi indefinitam amplitudinem, retinet aliqvandiu impetum celeritatis intra nares vel os acceptum, quo primum rectâ, inde obliqve sursum propellitur, qvandoqvidem plus materiæ subtilis contineat qvam aer exterior. Quod vero iterum impellitur intra corpus, id omne hauritur ex eo spatio qvod est inter partem abdominis & pectoris se dilatantem & oris nariumque cavitatem, in quo vix exigua pars expulsi continetur. Atqve dum sic impellitur aër per narium cavitatem in pulmones, fit perceptio particularum fragrantium, si qvæ aëri sint immistæ.

Si Narium anterior pars, quam aëris meatum appello, unicus tantum esset meatus isque cylindricus, aër per illum inspiratione attractus cylindrum formaret, quem cylindrum aëris appello.

Si totum fluidum in hoc aëris cylindro omnibus suis particulis eadem celeritate rectâ propelleretur, eædem semper particulæ raderent superficiem narium & eædem in medio manerent. Rectius igitur particularum hujus cylindri motum ex duobus motibus componi dicimus, uno propulso directè sursum vel deorsum pro impetus determinatione, altero reflexo à medio, ubi minor resistentia & major velocitas, versus superficiem, ubi ob resistentiam retardatur motus, & iterum à superficie versus medium. Dum enim particula impingit in superficiem resistentem motui ejus, inde repellitur versus medium non directè, sed ob insequentium impetum obliquè antrorsum lata, unde iterum ob directè propulsorum majorem impetum retorta obliquè antrorsum versus latera, iterum in superficiem impingit.

Ita causa prima hujus particulæ motus est resistentia quam invenit in solido narium corpore ad cylindri superficiem sito, unde reflecti & concurrere cogitur ad medium, ubi impetus particularum in axe dispellit reliqvas fluidi particulas ad latera, quæ non æquè velociter moventur, & ita ab axe ad superficiem iterum recedere cogit.

Servit hic motus particulis fluidi per superficiem expellendis, eodemque pacto dum per meatus narium aër transit in pulmones, sensim particulæ odoriferæ evolvuntur versus tunicam narium. Unde sequitur, quò plures particulæ è medio evolvuntur versus superficiem tunicæ Narium, eò magis odorem percipi, cœteris paribus. Et hoc fit vel longitudine canaliculorum, vel multiplicitate, in quibus ingens artificium elucit circa Narium constructionem. Quo enim major tunicæ narium fuerit superficies, eò plura nervosa extrema in eam terminari possunt, & plures aëris particulæ in eam impingere. Fit autem eo major superficiei extensio, quò plures in lateribus Narium inæqvalitates vel lamellæ exsurgunt, & qvantò magis in alias lamellas subdividuntur.


Itaqve quò nares simul & longiores fuerint & in plures canaliculos eosque angustiores divisæ, eò plures particulæ odoriferæ fluidi transeuntis affricantur extremitatibus nervorum in membrana narium expansis, adeoqve acutior odoratus.

De Narium structura ossiumqve spongiosorum diversitate.

NArium utraque cavitas dividitur in duas partes, unam anteriorem, quæ dici potest fretum vel via aëris,

aëris, alteram posteriorem, qvam sinum aëris vel diverticulum appellare licet. In via aëris lamellæ sunt, in diverticulo aeris sunt tubuli, qui cœci dici possunt. De his & illis ita *Casserius* de Fabrica Nasi L. III. c. 16. *In profundo Narium recondita sunt ossicula illa oblonga, spongiosa quæ gradus scalæ videntur appellanda, eo qvod gradatim unum supra aliud positum sit: cucullam qvidam vocarunt nescio qva similitudine, nisi forte superiora duo cucullam referre velint, qvæ ego conchæ Veneris libentius assimilaverim. Manicam Hippocrates non ineptè nominavit. Turbines & à forma & officio vocarem. De illis qui in hominibus inveniuntur semper loqvar, qvamvis & in bove & in eqvo hoc modo maximè se habent, ut & in ove: at in lepore circa cribrum tale qviddam etiam adest qvidem, verum circa priorem nasi introitum artificiosissimè striatum qvoddam ossiculum reperitur, uti & in cane, alio tamen in hoc qvam in illa modo. Ossa, non cartilaginea, sunt. Turbinata ossa rectè dicuntur. Oriuntur ex parietibus narium, ossibus, inqvam, cavitatem genarum internè sepientibus, ubi initio tenui exorti statim crassescunt, & turbinis formam assumunt, undique libera & nusqvam nisi suo principio alligata, ita deorsum pendula dependent, ut intermediam qvandam latebram inter os genæ conficiant. Tria plerumque, imo semper, sunt numero. &c.* Hactenus *Casserius*.

Nos in capite Ovino illa ossicula cum annexis cartilaginibus & membranis exhibuimus seqventi figura, ubi




AA, *Os Nasi secundum septi longitudinem divisum.*
B, *Palatum eodem modo divisum in* CC.
D, *Lamellæ in via aëris reperiundæ, quarum circumvolutio non videri potest nisi facta sectione transversa, prout inferius exhibentur.*
E, *Via aëris ubi in asperam arteriam desinit.*
FF, *Tubuli cœci in aëris diverticulo.*

Officula illa juxta *Casserium* suo calore aërem ingredientem præparant. Ideoque sita putat in medio Narium ut aer ingrediens ad ipsa appellat, & sic ipsius impetus frangatur: nam sicut in fluminibus velociter fluentibus obstacula qvædam ponuntur, quæ ne aggeribus periculum sit, impetum ipsius interrumpunt, ita etiam hic in naso fieri. Cœterum rectius inserviunt multiplicandæ superficiei Narium tunicæ, qvæ particulas odoriferas unà cum fluido

fluido respirationis impulsas percipiet. Quò plura enim in aeris via lamellarum interstitia, & plures in diverticulo tubuli, eò amplior tunica omnia hæc ossa investiens, adeoque simul plures particulæ odoriferæ Narium tunicæ affricantur, & in plures ramificationes secantur Nervi.


Lamellæ, qvas in via aeris reperiri diximus, in superficie interiori parietis exsurgunt secundum longitudinem ductæ, suntque numero in variis differentes, qvarum major ferè semper bifida (in nonnullis altera parte brevior est, altera longior) & circa axem cylindri instar convoluta, in quibusdam animalibus ut damis, cervis, bobus, agnis sæpius convoluitur absque aliarum lamellarum inde nascentium multiplicitate, uti seqvens figura ostendit ex capite Ovino, ubi *a*, os nasi externum, in cujus interno pariete lamellæ exsurgunt, indicat, transversim factâ sectione perpendiculari ad palatum *b*, ut videantur circumvolutiones majoris lamellæ *c*, seu officuli, quod à nobis in superiori figura indicatum est per literam D.




In Ursis, canibus nonnullis, lepore, muribus, erinaceo, lamellæ bifidæ utraque superficies plures alias lamellas quasi progenerat, quas *Casserius* indigitavit per artificiosissimè striatum officulum in introitu nasi inveniendum.

In Cane venatico exquisitissimi sensus quem nuper habere licuit, inextricabilem & planè innumerabilem lamel-

larum progerminationem & circumvolutionem inveni. Primo enim ut in capite ovino lamella major bifida semel atque iterum utrinque circumvoluta erat, deinde à superficie ejus superiori exsurgebant aliæ sex lamellæ quarum nonnullæ etiam bifidæ erant, sed omnes itidem in figuram semicirculi curvabantur, iterumqve plures lamellas emittebant, quarum qvælibet inextricabilem numerum aliarũ lamellarum exhibebat, ut impossibile esset earum numerum inire, nedum figura exprimere. In aliis tamen canibus itidem venaticis talem circiter lamellarum progressum observavi, qvalem exhibet seqvens figura:



Est hæc lamellarum facies sectione transversa facta, prout illarum progressum utcunqve imitari potuit calamus. Earundem vero lamellarum in iisdem canibus progressus (prout apparent in via aeris, qvando adhuc intactæ sunt, sectione nasi factâ secundum septi longitudinem) indicatur in figura seqventi per *a*, *a*, nam *b*, cartilaginea nasi pars est, qvæ cum membrana lamellas investiente continuatur:



Hæc-

Hactenus de structura Narium egimus, qvomodo olfactui accommodata est. Nihil jam dicam de humiditate Narium, sive qvà fontes, scilicet glandulas oculorum, aurium & narium eam suppeditantes, & vias illam perpetuo iterum abducentes; sive qvà usum, ad inviscandas veluti particulas odoratas aeris. Illa tamen moderata esse debet. Nonnulli quidem cum *Hippocrate* Libr. de Carn. ad odores benè percipiendos siccas, non unctas, nares reqvirunt, qvod de immoderato humore intelligendũ est, à qvo, nimiùm aliunde affluente, organum ad percipiendum sensum ineptum redditur, qvemadmodum Olfactus læsionem à gravedine capitis & catharro observamus.

Nec de Nervis agam, sive qvà extremitatem eorum vel per ossa cribrosa continuatam substantiæ cerebri, qvam processus mamillares dicunt, vel simul à ramo qvinti paris ortam; sive qvà oppositam extremitatem per totam narium tunicam dispersam: Nec de materia subtili jam agam, cujus mutatio mutationem odoris producit. Sufficiet hic saltem indigitasse verum Olfactus organũ, cujus artificium consistit in tunicæ Narium multiplicitate, ideo ut in spatio angvsto major sit superficiei expansio per tubulos & canales, quorum varia in variis animalibus conformatio.

Admittendum itaque est Nasum verum esse olfactus organum, nec tantùm *semitam rerum olentium*, qvod voluit *Galenus*, qui ipsum corpus qvod odores sentit, superius locatum credidit esse processus mamillares; idq; potissimum, qvia nullum odoris sensum, nisi spiritu naribus attracto moveri observavit Cap. 3. de Instr. Odor. qvanqvam ipsæ nares vapore etiam vehementer olente repletæ sint, ideoque partem corporis quæ odores dignoscit aliam esse suspicatur, eamque interius in corpore positam, non qvæ

tam,

tam in promtu eſt & in ſummo corpore locata, ut tunica qvæ naribus indita eſt. Hujus vero rei rationem ſuperius reddidimus, ut non omnino repugnet ſententiæ noſtræ de olfactus organo. Nec plus evincunt alia *Galeni* argumenta, uti Cap. 6. de Inſtr. Odor. qvod validi odores caput ſtatim lædant, impleant, aggravent & in delirium interdum provocent, atque Cap. 4. quod morſus gravis in intimo capite ſentiatur ab attracto vehementiore ſpiritu nigellæ odore. Nam illa non concludunt ibi odoratum fieri, ſed ſaltem illuc particulas ſubtiliores penetrare qvod negari non poteſt quamvis in naribus fiat Olfactus.


XVII.

Ovum gallinæ prægnans.

IN ædibus *D. Coſmi Bornemanni* Jurisprudentiæ Profeſſoris Regii, gallina menſe Auguſto 1679. excluſit ovum alio ovo prægnans, quod ad me miſit Vir laudatus curioſitati noſtræ gratificaturus. Utrumque perfectum & grandiuſculum. In extremo ovo albumen & vitellus circa internum circumfuſa erant. Similia alia alias vidi, ſed ſicca.

Hac occaſione ovum gallinæ Africanæ primiparæ exhibebo, cui collum cruſtaceum erat, in ædibus Gerhardi dulciarii excluſum.

Cujus hæc figura, communicata mihi à Clariſſ. *D. Olao Borrichio*:



XIIX. Se-

XIIX.

Secretum Antiepilepticum.

Invisa mihi semper fuit secretorũ occultatio, indignariq; soleo illorum invidiæ qvi sibi servant quod omniũ utilitati DEus & Natura commune voluit. Tanto magis execrari hanc hominum malitiam solitus sum, qvanto minus occulti habeant secreta, si revelentur. Jactantur passim arcana, quæ Medicis in quotidiano sunt usu. Et plerumq; ex Medicorum scriniis vel Schedulis omnia prodierunt, quæ magnifico titulo pro secretis jactantur. Exempla ubivis obvia. Unum signabo. Pro arcano Epileptico hactenus habuit Nobilissima Matrona remedium, quod multorum applausum meruit & admirationem. Ad quod, tanquam ex Æsculapii fano depromptum multi in urbe confugere solent. Non paucos vim salutarem ex usu remedii sensisse certum est, certum quoq; est, non pauciores fuisse incurabiles. Nec aliter fieri potest. Panacæa enim necdum illa innotuit, quæ vel omnium morborum spondeat medicinam, vel unius morbi apud omnes curationem. Quicquid horum sit, secretum illud remedium mihi singulari occasione communicatum fuit, cujus formulam non invidebo publico, ut videant Artis filii parum vel nihil secreti continere, quod non vel in Medicorum libris legatur, vel quotidiano usu adhibeatur.

R. Cranii hum. gr. X.
Sem. Pœon. gr. X.
Succini albi gr. vij.
Auri hæredit. gr. ij.
Margarit. gr. v.
Corall. gr. v.
Sambuci cortic. ex Salice nascentis gr. X.

Castor. gr. iij.
Pulv. Calendul. gr. IX.
Pulverisata dentur in aq Lavendulæ.

Quod auro per hæreditatem à parentibus relicto tantum pretii statuat vulgus, superstitioni vicinum est. Nec rationem video, nisi quod illud ex vetustate purius sit. Hoc cordi roborando efficacius creditur, at Luna cerebro in epilepticis. De cranio humano notandum 1. insepultum esse deberes monente *Renodæo* l. 3. disp. c. 19. h. e. furis suspensi vel alterius hominis, nullius tamen morbi interventu mortui, explicante *Henr. Ranzovio* de Tuend. Sanit. c. 53. sed præeunte *Plinio* l. 28. c. 1. 2. Partem anteriorem cranii commendari potius à *Crollio* de Sign. quam posteriorem. 3. Feminæ Femineum, ac mari masculū accommodatius esse, si credimus eidem *Crollio*, aliisque, quod verum sua experientia testatur *Unzerus* l. 2. de Epilepsi. c. 11. p. 212. Semen Pæoniæ maris palmam feminino præripit; quod tamen in officinis valdè rarum. Nostræ sedulò curant, ut illud habeant.

De Sambuci cortice & ramo in salice enato experientias attuli in Centuriis Hist. Anatomicarum; pro externo amuleto efficacem deprehendi. Calendulam Epilepsiæ adversari, non memini alibi me legisse, nisi quatenus calida siccaq; sua virtute cerebri humores absumit. Aliàs cordi appropriata, & in pestilentia vires potentius exserit.

XIX.

Oculorum Suppuratio & Visus imminutio.

INfans trium hebdomadarum in vico Boreali, nescio an per incuriam humi prolapsus, tantam oculorum inflammationem concepit, ut non tantum invisibiles nobis fuerint

rint occlusis palpebris, sed humor crystallinus ex altero effluxerit instar albuminis ovorum. Interea suppurati, copia puris ingenti quotidie effluente. Acta à Medicis qui curationi adfuerunt, quæ in hujusmodi casu agi solent. Tandem aqua ophthalmica ex succo chelidonii majoris, aliisq; impletus quidem, finita suppuratione, oculi humore crystallino vacui bulbus, sed sine visu. De Visus imminutione penes me est Consilium *Jo. Dom. Salæ* Medici Nobilis Patavini & ætate & experientia & eruditione inclyti, quod hic propter materiæ affinitatem inserere operæ precium duco, grata in magnum Præceptorem memoria, quo duce olim in Visitandis ægris triennium Patavii insumsi. Latina consuetudine à me redditum ita habet:

De relatione missa, quæ melior fuisset si à Medico esset conscripta, ita judico: quod causa visus imminuti non sit Cataracta, qvia si illa esset facta, videretur, nec meliori statu conspiceretur, sed semper in pejorem statum provolveretur, ut jam prosus visus esset sublatus; si esset incipiens, potius, ut solet, depravationem visus induceret quam imminutionem, adeò ut hoc tempore apparerent antè oculos aut culices, aut filamenta, aut alia objecta quæ obiiciunt ea visui quæ revera non videntur; præterea, cataractæ non solent ad maturationem tantum temporis requirere ut visum auferant. Non est ungula, quanquam externè aliqua ejus appareant vestigia, quia, quando ungula pupillam non attingit, innoxia est. Non est alterius generis macula externa, ea quippe appareret. Judico non esse affectum illum internum nervi visorii, quem Græc vocant Maurosin, Latini Guttam Serenam, in qua videntur oculi & pupilla tam clara instar sanorum, siquidem non capit initium hic affectus à causis externis oculorum, sed potius ab internis

capitis, & subito omnem visum tollit, nec mutatur modo in melius modo in pejus.

Iudico igitur esse in oculo offensam ante humorem crystallinũ, qui præcipuũ est visus organon, ab humore aqueo, per quem transire debent species visibiles, & præterea adesse crassitiem tunicæ corneæ, quæ etiam transparens esse deberet, ut ad organum dictum species transmitteret. Credo huic parti introducta esse hæc vitia à diuturna & ingenti defluxione, posseque ætatem aliquid conferre ad hanc offensam, quia causæ exigui visus ad sunt in omnibus senibus, quanquam ætas sola non sufficeret ad tanta mala producenda, nisi ab alia causa esset oculi debilitas. Sed de his rectius possent judicare Medici periti præsentes, quales sunt Norsini, idq; multo securius.

Si causa proxima est illa quam judico, causæ remotæ erunt humores pituitosi, crassi, & tractu temporis defluxiones incrassatæ primo à capite calido & humido, unde semper fluxiones prodeunt, deinde etiam ab hepate calido, quod se prodit per tot pustulas in reliquo corpore apparentes. Quicquid sit, periculum imminet ab hoc malo ne visum amittat oculus hic, sicut altero oculo evenit. Difficile erit curatu, quia magnum, quia antiqvum, quia à fluxione conservatur, quia oculus est debilis, quia in hac ætate incidit, quia multa remedia à longo tempore tentata sunt. Spero non fore impossibilem curationem, quia alia remedia supersunt quæ procurentur, quia observata est mutatio modo in pejus modo in melius.

Ideoque in opportuna hac anni statione, primo purgandum est totum corpus, postea particulariter, caput, fluxio divertenda, quantum possibile, exsiccandum nonnihil caput, refrigerandum hepar, in quo generantur humores qui possunt deducere alios ad locum, deniqve attenuan-

nandæ & resolvendæ materiæ concurrentes, roborandaq; est pars læsa.

In purgatione universali corporis suadeo, quia adhuc nulla adest inflammatio, in hac ætate & oculi imbecillitate, parum sanguinis extrahere. Suffecerit ad calorem hepatis, & ad purgationem, quæ facienda est, ne concursus fiat humorum calidorum per medicamenta localia, extrahere quatuor vel qvinq; Uncias ex hæmorroidibus, & supplere per balneum aliquod inferiorum partium, per frictiones & cucurbitulas sine scarificatione.

Medicamenta purgantia & præparantia respicere debent humores pituitosos & biliosos. Sed purgatio erit diligens & duplicata, primo per medicamenta mediocria & Syrupos simplices, deinde per Syrupos compositos, & purgantia nonnihil efficaciora, ut possint trahere ex partibus dissitis & ex capite quoq; sicut sunt pilulæ Lucis cum juvamine probatæ. Materiæ remediorum notissimæ sunt, & præscribentur à Medicis præsentibus.

Caput non expurgetur per nasum, ne irritetur fluxio ad oculos, sed per os, abstinendo propter eandem rationem à medicamentis calidis. Sufficit masticatoria conficere ex mastiche, cera, pulvere fœniculi & Saccharo, vel, quod mihi magis placet, masticare fœniculum conditum in aceto. Si hoc tempore oriretur inflammatio aliqua in oculo, laudarem sanguisugam unam vel alteram post aurem sinistram.

Ad fluxionem derivandam fontanellæ inuruntur, ut evacuent. Fiat setaceum in nucha. Sæpe applicentur vesicatoria, sed superficialia post utramq; aurem, quæ fiunt vel cerato cum pulvere pauco cantharidum, subtili manu extenso supra telam, vel lacte ex Tithimalli omni stillante, frangendo caulem, & locum tangendo aliquot guttis quæ

exſtillant: qualia veſicantia geſtentur longo tempore, im- nimum quadraginta diebus, renovando quotieſcunq; ſanantur. Derivabitur quoq; uſu diuturno maſticatoriorũ,& familiari aliquo purgante leniori, ſicut pil. de Tribus cum Rhabarb. & ex aloe lota cum ſucco roſarum cum pauxillo ex pil. Lucis.

Ad caput exſiccandum interius laudo decoctum ex ſalſa parilla, ſandalis rubris vel viſco quercino, additis fœniculo & euphragia, ut oculis approprietur. Exterius ſpongia alterat partem tincta ſæpe & ſiccata in decocto ex eo quod remanſit, additis roſa, betonica & Agarico, quod magis ad rem faciet ſi fiat aut in lixivio dulci, aut in aqua marina, aut in balneo quodam ſulphureo: & hac ſpongia ſicca fricetur caput, ſemper ad nucham verſus.

Hepar refrigerabitur, ſi poſt uſum decocti hujus, ſumat per quindecim dies vel juſculum alteratum cum cichoraceis, vel uncia una ſacchari roſati. Dum decoctum ſumit, non mihi neceſſarium videtur nec ſecurum ſudorem excitare, vel victu uti adeò tenui ſicut ſolent; caro aſſa concedi poteſt, & vinum, ſed lymphatum.

Inter remedia localia expertus ſum utile eſſe Unguentum diabutyri, quo primo ſimplici utile eſſe Unguentum diabutyri, quo primo ſimplici utor, oculis applicato, poſtea ſenſim augendæ ſunt vires ejus expoſiti Soli in vaſe æneo cum pauco aceto, ut acquirat colorem viridem ab ære: augentur præterea addito parum fellis primo piſcis, deinde animalium volatilium & quadrupedum.

Probatur mihi etiam illud, quo Norſini pro ſecreto utuntur, nempe ut ſæpius abluatur oculus aqua Euphragiæ, fœniculi, in qua infunditur parum vitrioli coloris cœrulei. Efficax quoq; remedium eſt, deſtillata aqua vitæ, in qua infunditur panis coctus ex tota farina cum furfuri-

bus,

bus, additis fœniculo, euphragia, & exsuviis viperæ, quæ oculo applicetur tepida cum aliquo instrumento vitreo, ut aqua oculum tangat.

Et siquidem hæc remedia aliquando propter vehementiam suam alterant oculum dolore & rubore; in tali casu oportet ea intermittere donec mitigetur dolor & rubor, soloq; diabutyrato simplici inungere, aut aqua rosacea cum pauco vino albo & aqua fœniculi vel euphragiæ.

Tandem volente DEO ad pristinum visum restituto oculo, ut roboretur, conducet nunquam aqua lavare, sed vino albo mediocri vel decocto euphragiæ & fœniculi, cui infundatur parum Tutiæ.

XX.

De Triplici Quartana & Sextuplici.

UXor Cerevisiarii in foro Veteri conquesta mihi est anno præterito, singulis diebus calore se corripi sine frigore, semper jam à longo tempore recurrente sine sudore. Hypochondriaca verò est.. Credidi eam Triplici Quartana laborare. Hinc variis ex methodo præmissis, tandem chalybeato vino convalescere visa, mihi valedixit. De Triplici Quartana qværdam olim adduximus Cent. 1. Hist. 95. Hoc anno non absimiles febres mihi Hafniæ grassari observatæ.

Sextuplicis Quartanæ historiam & curationem olim à Summi nominis Medico Patavino *Hieronymo Capivaccio* conscriptam servo, quam apud me diutius latitare nolo. Forsan ex usu erit: Est verò hæc:

Cum Perillustris Comitis affectiones diligenter considararemus, in hanc tandē sententiā ivimus, eum sex quartanis correptum. Quod etsi dictu forsan mirabile & in-

audi-

auditum videatur, tamen qui volet singula sedula meditatione persequi, ita rem sese habere comperiet. Affectu enim melancholico, & præsertim hypochondriaco virum nobilissimum laborare certum est. Vitium est flatus, namq; percipit in hypochondriis rugitus, tormina, & in ventris regione frigiditatem, capitis etiam dolore premitur, quem ex vapore superiores partes petente provenire in confesso est, cum flatibus cessantibus eum etiam cessare fateatur. Sed quod majorem fidem facit, est totius partis sinistræ corporis frigus, quod in sinistro etiam pede percipit. Accedit præterea eum ex curis & vitæ solicitudine habitum contraxisse melancholicum, ut ex his omnibus facilè sit colligere eum affectu melancholico esse correptum. Cum vero febris bis in die invadat, mane & vesperi, nullo rigore aut sudore, quidnam aliud asserendum, quam Quartanæ ideam obtinere? Eam autem sextuplicem esse, cum accessiones febriles in die bis invadentes, quarta quaq; die sibi mutuò respondeant?

Hæc igitur febris ex melancholico humore ortum ducit, cujus est multiplex vitium, copiosus enim est quam par sit, crassior, viscidior, in liene impactus, quorum culpa factum est, ut viscus hoc humore obstruatur, copiosus enim à jecore generante transmittitur, nec commode à liene expurgatur ob facultatis expultricis imbecillitatem. Hinc etiā fit, ut cum totus à splene suscipi nequeat, in totius partis sinistræ frigidioris quam par sit venas transfundatur, & multiplices sibi ad sex quartanarum exortum focos comparet. Somnus verò ipsi facilè conciliatur, qua rationi est consonum melancholico humori pituitam esse permixtam ut ex spuitionibus frequentibus intelligitur. Absq; rigore invadit febris, quoniam mobili humore, qualis est tenuis, fit potissimum rigor; at melancholicus hic humor est

est crassissimus, quandoquidem progrediente febre, cum magis attenuetur, horror saltem aliquis potest oriri. Propter hanc etiam causam sudor non contingit, qui solet rigores consequi, cum humor terrestris difficulter attenuetur & liquescat.

His definitis eliciendæ Indicationes à contentis & continentibus. Contenta sunt humores illi pituitosi & melancholici, qui cum propter tot vitia lienem obstruentes putrescant, ideo remediis hæc vitia respicientibus indigent: neque enim obstructio aliquid ex usu indicat, cum remotis humorum vitiis ipsa quoq; removeatur. Continentia sunt hepar & ventriculus: illud refrigerandum, hic moderatè calefaciendus & siccandus; nec minus proportio calidumque insitum horum viscerum & præsertim lienis, propriis remediis tuenda. Quos scopos absolvere ad modum fore arduum putamus; quoniam magnitudo essentiæ in tot melancholiæ vitiis, & à naturali statu plus recedentibus conspiciatur, nec non & in intemperantiis prædictis, quæ & dignitatis magnitudinem sibi adsciscunt, cum temperies ex Galeno dignitate sit major. Verum cum æger vires firmas habeat, & nullum generosum auxilium fuerit expertus, speramus eum convaliturum.

Quod igitur spectat ad Chirurgiam; Sanguinis missionem probamus; cumq; innatas hæmorrhoides non habeat, incidenda primo sinistri cubiti vena, & eousq; sanguis fluere sinendus, donec pro livido & crasso rubicundus & tenuis apparuerit. Sed expedit etiam sanguinis missió iterum moliendа, ut multiplices focos febris, quantũ fieri potuerit, debellemus.

Pharmaciâ lenienda est alvus, ut Melle rof. Sol. & Cassiâ: Tum optimè præparandi sunt humores syrupis melancholico succo dicatis, ut de fumaria, de pomis, de

epithymo admixtis congruis decoctis ex Cetrach, fumaria, borag. tamarisc: Tum valenter expurgandi confect. hamech, Senna, Polypodio, & aliis efficacioribus, si opportuna videbuntur. Peracta purgatione Decocto chinæ cum carne laudatur, quo per 60 dies utatur, & adjungantur herbæ melancholiam respicientes, ut borago, tamarisc, agrimonia, Cetrach, fumaria, ut & Cichoreum & betonica pro ventris & jecoris intemperantiis; quo tempore sudor etiam conferret. Ante Syrupos & cibos pilulis utatur ex pulv. Chinæ, agrimon, fumar. & cetrach confectis. In summa, id observandum, ut (quemadmodum Aëtius præcipit) amaris adstringentia misceamus, ut humorum crassities tollatur, & lienis tonus servetur, ut tum sanguinem repurget, tum supervacua in ipso genita extra ad ventrem protrudere possit: hincq; quanto crassiore utitur alimento, tanto valentioribus indiget. Magnæ antidoti & maximè Theriaca prodesset, sed quia adventant tempora calidiora, ab eorum usu erit abstinendum. Erit ergo satis Conservas aliqvas in usu habere familiari, ut Cons. flor. borag. dianthos, ex flor. cichor.

Victus ratio mediocris respondeat, attenuans sit, moderatè calefaciens & humectans. Vinum sibi paret vindemiæ tempore medicatum, iis quæ affectus lienis juvant, cappar: corticibus, Scolopendr. fumaria. China etiã, & tamarisco; nec à ratione alienum erit, si dolia & poculum, unde vinum hauriet, ex hoc ligno sibi confici jubeat, quod melancholicis affectibus adversari experientia constat. Reliqua suis Medicis relinquimus.

XXI. *Ver-*

XXI.

Vermes cum urina.

PAupercula quædã mulier pro puero suo stranguria laborante obtinuit in officina Herfordiana pulveré Cantharidum cum oculis cancri. Subsecutus ilico post usum pulveris vermiculus urinæ permixtus, rubicundus, longitudine articuli digiti, convalescente puero. Dubitavi an in matula non benè lota vermis antea latuerit, quod alias observaveram. Negavit verò illa, vas enim nitidum fuisse, seq; accuratè hæc spectasse.

Vermiculorum ferax est corpus nostrum, nec ulla pars immunis. In capite dolores excitant, quos exinde excretos capsulæque impositos in templo meo Hagestedano in Nobilissimi Friderici Frisii loculo servatos memini. In ozæna vermiculi prodierunt. In dentibus nascuntur & fævo cervino eliduntur. In corde observatum vermem ex Majo *Severinus* de Abscessibus memorat. Renum familiares esse hospites non semel vidimus, unde mirum non est, cum lotio excerni. Pedes verminosos alibi descripsimus. Vulgatum est lumbricos in intestinis hospitari, & in Dysenteria nuper grassante non pauci observari. Ex ventriculo Viri religiosissimi Hafniæ, ante fata, vermis vomitu rejectus. Pestem Viennensem nuperrimè à vermiculis ortam, Medici notarunt, & succo citri profligari. Scilicet omnem pestem à vermibus advocat *Kircherus*. Credo verò effectum esse putredinis, non causam. Quid plura? vermiculi vivos nos torquent, & mortuos consumunt. Ut verè *Job* c. VII, 5. caro mea undiq; verminosa est.

XXII.

De Subitanea pueruli Illustris morte.

EX missa relatione de Subitanea morte illustris pueruli, colligere nobis visi sumus, causam illius repetendam ex coagulato & extravasato sanguine tam in cerebro quam pulmonibus copiosius post dissectionem reperto, unde Apoplexia sanguinea subsecuta. Quod malum quoque accelerare potuit copiosus humor in cerebro visus. An verò extravasatus hic sanguis ab interno aliquo vel externo accidente ortū traxerit, absentibus facile divinare non licet, si quidem nulla indicia certa perscripta fuere. Id tamen suspicari possumus, quia semper difficultatem respirationis & angustiam pectoris observarunt in beato puerulo adstantes, obstructionem in vasis pulmonum vel circa eadem compressionem præcessisse. Hafn. 22. Dec. 1677.

Th. Bartholin. H. à Môinich. J. H. Brechtfeld.

XXIII.

An gangrana pedis ex Sp. C. C. rectificat. inunctione processerit?

AMplissimi Viri amicæ petitioni satisfacturi perlegimus justa diligentia transmissum Casum Medicum, & ad quæstiones propositas brevissimè respondimus. De facto tamen judicium nostrum suspendere debuimus, quia, deficiente Medici Sempronii relatione, circumstantiæ variæ desiderantur ex ægræ Viduæ statu, malo præcedente, remediis adhibitis &c.

Interea ad Quæstionem Primam officiosè respondetur, videri pustulam in pede excitatam, fuisse mali moris ante

faris

farinarum Medicarum applicationem, alioquin enim cesſiſſet, ad minimum ex parte, poſt ad motas farinas, quin & pravitatis ejus indicium eſſe, quod totus ille prior dolor & cordis & aliarum partium ſuperiorum, deſierit velut in punctum aut centrum puſtulæ, adeoq; ibidem tanto vehementiorem in anguſto ſpatio excitarit dolorem. Putamus autem minus convenienter illitum poſtea Spiritum Cornu Cervi rectificatum, præſertim ſi purus ille fuit, & non temperatus miſturis aliis, qualem ſcilicet mitiorem noſtri pharmacopoei divendunt. Opportunius adhibuiſſet Sempronius diaphoretica interna, quam externum illum vehementem liquorem, qui non poteſt non, præcipuè in affectu non frigido, cauſari tandem dolores & alia incommoda. Neq; ſpiritus ille in hoc caſu ſalutari poteſt Schmertz-ſtillender ſpiritus, ſi accuratè loqui placeat. Solent tamen Medici in Inſcriptionibus medicamentorum propter diverſas intentiones ludere quandoq; vocabulis, atq; id innoxiè.

Deinde, poſtquam ex ſuperioribus conſtet, puſtulam fuiſſe pravi & mali moris, non credimus inflammationem illam & ſupervenientem gangrænam in totum Spiritui illi Cornu Cervini adſcribendam eſſe, cùm etiam ſine illo medicamento potuerit ſenſim ex puſtula illa ſeu fonte infecto manaſſe, præſertim ſi corpus fuerit Cacochymicum, & ætas in ſenium declinans. Potuiſſe tamen dolores accelerare, & aggravare non negamus. In ſanâ autem carne gangrænam ab aliquot guttarum illitu, terq; quaterve repetito, excitatam fuiſſe, hactenus non obſervavimus.

Tandem, quanquam Theriaca diateſſaron ſucco Sambuci permiſta cum fructu applicari poſſit eryſipelati incipienti, adultæ tamen inflammationi ſiſtendæ quomodo ſer-

ſervire potuerit, non videmus. Solum rob Sambuci applicitum, fuiſſet innoxium.

Concluſum in Collegio noſtro Medico, Hafniæ d. 26. Martii CIↃ IↃC LXXIX.

Th. Bartholin. Er. Bartholin.
W. Worm. Ol. Borrichius.
Caſp. Bartholin Th. f.

XXIV.

Cataplaſma odore ſudorem provocans.

EX Norwegia transmiſſum fuit Cataplaſma ſolo odore ſudorem proliciens adeoque febres curans. Odor verò eſt gravis fœtidusq;, qui per nares attractus, moleſtia ſua & acribus particulis Salis volatilis turbat corpus & ad expulſionem febrilis materiæ incitat. Odor enim, ex *Theophraſto* L. 6. C. P. 22. in eisdem generibus eſt, in quibus aliquid acredinis aut pinguedinis ineſt. In America radicem eſſe mihi narratum fuit, cujus odore copioſiſſimus ſudor in lue Venerea elicitur. Cataplasmatis verò ſeu Unguenti Norwagici deſcriptio hæc eſt:

℞. Allii n. ij.
Pulv. gentian. ℥ß.
Piper. ʒij.
Croci ʒß.
Atramenti ſutorii, vel lixivii fullonum
q. ſ. M.

Modus applicandi hic eſt: Corio vel linteo oblongo inungitur digitisque duobus indice & medio obvolvitur. Hinc lecto culcitrisq; bene munitus ante febrilis horroris invaſionē, crebra ad nares odoris hujus attractione, ſudorē ſen-

ſenſim copioſum provocabit. Felicem eventum nonnulli, etiam Hafniæ experti ſunt,& experimenti gratia Unguentum hoc ſeu Cataplaſma in Officina ſua Heerfordius Junior ſervat, cuivis illud petenti libenter communicaturus. De ſudore mirũ non eſt, cum etiam alvus lubricetur medicamentis purgantibus frequenter naribus oblatis. Nec alia ratio eſt periaptorum. Singulare de viſco quercino amicus communicavit, qvod fronti affrictus, dũ calet, ebrietatem diſcutiat. Odore copioſo vini inebriari quosdam ſcio. Cur de ſudore dubitamus?

XXV.

Criſis morbi per ungues.

IN unguibus ſigna tam ſanitatis quam morbi apparere notum eſt. Juſta enim rubedine nitent in ſanis, pallent liventq; in morboſis & moribundis. Per criſin in convaleſcentibus maculas extrudi non ita vulgatum. Apparent quidem nonnunquam in ſano ſtatu maculæ albæ, à calore vegeto protruſis excrementis, quas ad alia torquet vulgus quam pro naturæ intentione. Calumnias enim deſignare creduntur. Nugæ. Quid naturæ corporis cum externa malevolorum machinatione negotii? Unde utriusq; conſenſus? ſi mendaciorum & calumniarum ſigna ungues ſemper gererent, nunquam. à maculis forent immunes. Cur verò albæ magis quam nigræ? Candida potius candidorum judicia proderent, non nigras deformesq; obtrectatorum cavillationes.

Quemadmodum robore naturæ in ſanis candidæ maculæ exſurgunt: Ita in morboſis lividæ nigricantesq; quaſi criſi quadam generantur, protruſo ad extrema digitorum

per

per vascula seu sanguinea seu nervosa humore pravo. Id nuper raro exemplo observavimus in Viro rari exempli, quem à gravissimo morbo servatum & publico & privato nomine gaudemus. Erasmus Vindingius is est, magnum patriæ & Academiæ nostræ decus. Sexagesimo quinto ætatis anno magna inappetentia cum occulto depascenteq; calore correptus, & siccitate faucium, benè Sibi ominari non cœpit. Tractum per hebdomadas binas malum, variis ex arte adhibitis pro stomacho languente, calore & siccitate, quæ marasmum minabatur, & Scorbuto, tandem omnium bonorum voto, visum fuit remittere. In hac morbi declinatione ungues maculis obscuris hinc inde magnis & latioribus tingebantur, quales scorbuticorum in artubus esse solent, quas pro renato Naturæ robore interpretabar, ad extremas corporis partes materiam morbificam, velut crisi salutari, expellentis. Sensim illæ disparuere, sed sperata salus Virum integerrimum revisit, quam ipsi perennem precamur.

Alias podagricorum tophos in unguibus pedum resedisse vidi.

XXVI.

Vomica Pulmonis.

Ad D. Oligerum Jacobæum.

IAm, à nuper acceptis vestris mihi copia facta est aperiendi Cadaver Infantis duos annos & sex menses natæ, à febre cum difficili respiratione & tussi & aliis nervosi generis affectibus extinctæ. Quæ notatu maxime digna in ejus Anatome occurrebant, sic accipe.

Aperto thorace insignem ibidem in dextro latere Pulmonis Vomicam observavimus. Quippe Pulmones ibi

ibi loci & Pleuræ & Diaphragmati qvam arctissimè cohærentes, & demum suppurati, cystidem intus amplissimam efformarunt, materia purulentâ coloris dilutè viridescentis, repletam. Fere libras duas hujus puris invenimus, in eodem verò huc illuc natitantem materiam aliam coloris albidioris instar Steatomatis. Vomicæ potius quam Empyematis titulo, eo inductus sum ut hunc affectum insignirem, cum probè notavimus membranam quandam crassiorem semi putidam Diaphragmati & Pleuræ super inductam, Portiunculæ verò isti qvæ restabat Pulmonis, continuatam. Maxima enim ejus pars, cum in pus abiit, supra basin tamen cordis particula ejus adhuc mansit. A vulnere verò inflicto intus hic illic Abscessus parvulos alios offendimus. In sinistro latere Thoracis Pulmones magis integri, copiosis verò fibrarum manipulis in variis locis & Diaphragmati & Pleuræ affixi fuerunt. In ipsam Thoracis cavitatem serosus qvidam liqvor, non tamen multum copiosè effluxerat. Nullibi verò hic Apostemata invenimus, & qvod magis sum miratus neq; glandulosas istas caruncululas in malè affectis Pulmonibus qvam sæpissimè occurrentes, & qvibus suppuratis non rarò succedit Phtisis, nisi dicamus, qvod in hoc cadavere Tubercula ista jam penitus in pus facescentia, nulla sui vestigia reliqverunt.

In abdomine viscera omnia aliqvantulum albidiora, ventriculus verò & Intestina planè candida. Epar pallidum & exsangve, & nisi in Portæ sinubus nil sangvinis apparuit. In Pelvi utriusq; Renis (qvod sum plurimum miratus) pus qvoq, album ibidem stagnans, nec non in Vesica urinaria copiam ejus satis largam offendimus; in neutris verò Apostematis seu Abscessus vel minimum tractum observare licuit; unde necesse habuit (uti credere par est)

M cir

circuitu ſangvinis huc è vomica Pulmonis deferri, & demum una cum urina ſecerni. Quod confirmatur, & viciſſim ratas habet Obſervationes *Practicorum*, Urinas *Empyicorum* qvandoq; purulentas evadere, & narravit mihi Vir ingenioſiſſimus & Medicinæ hic Londini Practicus feliciſſimus D. D. Morton, ſe olim empyicum quendam copioſi puris per urinas ſeductione in integrum reſtituiſſe: Materia hæc purulenta in ſangvinem abſorpta (uti fas eſt opinari) albidioris iſtius viſcerum coloris cauſa exſtitit, & Epar qvaſi exſangve reddidit: Et notatu dignum qvod cum Bilem veſicâ fellea extraxeram, *Hypoſtaſin* qvandam purulentam in fundum baſis præcipitatam obſervavi, ita ut qvod vel balſamum ſangvinis perhibetur, neqvit hic ſe ab ipſius noxis tutum præſtare; at *Natura* ſe ab inimico hoc hoſpite expedire ſatagens, qvacunq; licuit, foras eum protrudere contendit, ſc: per glandulas ſecretrices Renum, Epatis, nec non Aurium (aures quippe purulentas habuit), ſed copiâ ejus demum devicta ſuccubuit, & exſpiravit patiens. Londini 1679.

Eduardus Tyſon.

XXVII.

Hydrops Thoracis & difficultatis ſpirandi rara Cauſa.

Ad *Oligerum Jacobæum*.

CUm Oxonii olim ſtudiis incumberem, qvidam me admonuit de Cane ſumma ſpirandi difficultate laborante, ita ut vix ſpatium viginti pedum motu citatiori emetiri potuit, qvin illico in humum delapſus & anhelans rapidiſſimè ſpiritum trahere neceſſe habuit. Cum data pe-

pecunia dissecandi mihi copiam feceram, secto Thorace integram ejus cavitatem Aquâ repletam inveni; Pulmones verò ita parvi, ac qvasi sacculo inclusi, ut dimidio minus spatium præ solito occupabant, etsi Aere inflato ope follium ad maximam sui expansionem excitaveram. Tunica qvippè communis Pulmonum (qvæ hic crassior & albidior videbatur) ita coarctaverat ipsorum parenchyma, & constrixerat, ut copiam aëris pro respirationis munere idoneam, non nisi repetitis nixibus admittere potuerint. Substantia Pulmonum aliàs satis integra videbatur, & id unum vitium, qvod non satis libere sese explicare licuit. Aqvam istam in Thorace contentam multum qvoq; Respirationi obesse facilè crederem; sed an non à contractura illa Pulmonum originem suam traxerit, cum non aliàs viderim, unde effluerct, in medio relinqvam. Canis hic venaticus fuit, & eo nomine domino suo valdè gratus, sed à sex ferè mensibus (si benè memini) morbo hoc detineri incepit.

Eduardus Tyson.

XXVIII.

Hæmoptoe, Tussis, Pleuritis, & Empyema, à duobus Claviculis fortuitò in Pulmones delapsis.

Ad *Oligerum Jacobæum.*

Vir quidem ex occupatione Cæmentarius, cum pro more in munere fungendo claviculos in ore detineret, ex forti cachinno dum sursum aspicit duos in Pulmones fortuito demisit. Illico ingenti tussi correptus est, & hæmoptoe; & ab illo tempore molestiam circa pectus sensit, nihilominus fungebatur munere solito, & post elapsum

annum uxorem duxit. A celebratis verò nuptiis Tussis magis sæviebat,an à Baccho,venere,tripudiis vel à suscepto frigore me latet. Post 4 dies ingenti dolore dextri lateris,anhelosa respiratione & febre detentus,Dn.Morton, ut ipsi medicinam faceret,accersit. A datis medicamentis dolor iste Pleuriticus evanuit; Febris verò, vigiliæ & importuna tussis usq; perseverabant. In tantum verò qvandoq; sæviebat,ut erecto corpore per longum spatium cum maxima violentia miserum defatigaret. In cassum verò tentatis vel optimis medicaminibus, & habito jam Prognostico,exspirans fere tandem Medicum admonuit, de deglutitis (ut ipsi visum est) clavis. Dissecto corpore; dextri lateris Thoracis cavitatem materia purulenta repletam offendimus. Pleura hic insigniter crassa, alba & putrida fuit; & membrana dextrum Pulmonis lobum investiens ejusdem indolis. In eodem lobo Cystidem observavimus pure valde foetente & instar Meliceridis repletam. Pulmones discolores fuerunt, & ferè nigricantes,utriq; lateri adhærebant, & sangvine & pituitosa purulentia multum infarcti. Juxta Trachæam ubiq; glandulas freqventes advertimus, viscida nigricante materia obsitas; & in ipsis Pulmonibus alias insignes materia steatomatosa turgidas. In cavitate verò Tracheæ intra Pulmones ubi se in bronchias seu ramificationes suas diffundit, clavos istos duos juxta sitos, purulentia quadam obsitos & rubigine obductos, miseri hominis fati misericordes invenimus.

Eduard Tyson.

XXIX. *Po-*

XXIX.

Polypus omnes Corporis totius Venas & Arterias occupans.

Ad *Oligerum Jacobæum.*

CAnis qvædam Islandica, qvæ pro indole sua valde ludibunda & agilis fuerat, à semi anno pingvescere & torpescere incepit; & tum temporis qvasi syncope correpta in terram corruens, animam ut mihi videbatur, efflatura erat. Tandem verò convalescens, sed usq; pigra, non ita pridem catulos tres parturiit, duos verò mortuos. Tempore prandendi solito cibos sollicite qværitans huc illuc cursitando, & post devoratos satis alacris cum visa est, ad catulum fovendum rediit. Sed hora una vel altera elapsa cum famulus obiter canem minus integrè (ut ipsi visum est) se habentem observasset, ad focum admovet, sed illico crura & pedes summè extendens & in tergum se volutans, exspiravit.

Mortis tam repentinæ causas scire gestiens, corpus dissecui, & cum cætera viscera satis integra videbantur, in dextro cordis ventriculo & Auricula Polypum insignem ejus cavitatem occupantem observavimus. Sed qvod rarius (ni fallor) annotatum est, per totius venosi generis systema ramulos dispergebat, ita ut in Pulmonibus, in Epate, in Renibus, in Venis *M*esentericis, in Cava, in Ramis Iliacis, uno verbo in omnibus totius corporis venis Polyposam hanc sangvinis coagulationem, qvasi in Theca inclusam advertimus. Sectis venis *P*olypum integrum cum suis ramulis è corpore exemi, & in Tabulam explicavi, qvi demum exsiccatus mihi nunc inservit pro systematis venosi schematismo. In sinistro ventriculo & auricula itidem *P*olypum alterum satis grandem notavimus, qvi

eodem ritu ac in Venis, per singulas arterias diffundebatur. Hoc verò discrimen interfuit, qvod Truncus illius qui Arterias occupaverat, gracilior fuit & minoris molis,

Eduard Tyson.

XXX.

Polypus Bronchiarum & Tracheæ.

Ad Oligerum Jacobæum.

JAm à longo tempore apud vulgus obtinuit & in *Practicorum* libris observationes habentur; de frustulis seu particulis pulmonum (ut ipsis visum est) cum sputo *Phthisicorum* tussiendo rejectis. *Pulmones* deminui, consumi, & deperdi pro confesso habent, & demum offas seu porticunculas aliqvas ex ulcere corrosas egeri. Quantum verò mihi ex fide qvarundam observationum Anatomicarum & ex freqventi *Cadaverum Phthisicorum* dissectione adhuc innotuit, res aliter se habet: & *Pulmones* nimium inflari, augeri, à materia serosa vel purulenta, sæpius à Tuberculis glandulosis infarctos esse, qvandoq; mihi contigit observare. Ita ut cum integram fere Thoracis cavitatem occuparent, minus spatium pro libera sui explicatione, & aëris satis idonea copia susceptione obtinere neqveant; hinc freqventiori nixu respirandi systolen & diastolen repetere necesse habent. Qvod ansam forsan præbuit sententiæ illorum, qvi *Pulmonum* particulas tussiendo qvandoq; ejici autumant, idem foret qvod mihi à sesqvianno contigit videre. Scilicet Juvenis qvidam olim hæmoptoe & gravi tussi laborans, jam *Phthisicus* planè evadens, sæviente brumali frigore graviorem affectus ejus in-

insultum expertus est. Tussis valdè freqvens, & maxime importuna miserum defatigavit; vomitu sæpe correptus est; vigiliæ & dolor capitis urgebant, sitis vexabat; dolor à dextro latere infra costas ad sinistrum imo ad dorsum affligebat; spiritum cum maxima difficultate trahebat. *P*ulsus nullum fere sui inditium præbebat, & qvod notatu maximè dignum, sæpe & insigni copia per decursum morbi, cum Tussis maximè urgeret, offas qvasdam planè carneas, sangvinis efflorescentis striis in superficie insignitas, è *P*ulmonibus rejiceret. Offas hasce qvo melius perspectas haberem, salivam ab ipsis & reliqvam immunditiem linteo detersi, & inveni carnosis planè fibris longitudinalibus donari. Coloris subalbidi fuerunt, figuræ ut plurimum oblongæ, variæ magnitudinis; & *P*articula qvædam 4 digitos transversos longa Ramificationum vestigia obtinuit. Imo omnibus ritè pensitatis, ut mihi videbatur, *P*olypum Cordis & venosi generis qvam exactissimè referebat. In sanguineis verò *P*ulmonum vasis prius efformari, & demum vi tussis vasis erosis & ruptis ejici, minus mihi verisimile videbatur, cum jam vivente homine hæmorrhagiam inde insignem insequi necesse foret. Cum nos vidimus non nisi strias qvasdam sangvinis superficietenus. Potius ab ipso sangvine in bronchias effuso, vel à sero sangvinis ope Glandularum in ipsas secreto & tandem coagulato fieri, credere par est. Sed cum ipse oculatus testis non fui, mallem ἀπέχειν qvam temere hic qvicqvam statuere. Anatomen enim Corporis qvam maximè licet sollicitavi, vana Amicorum pietas, & nescio qvæ in mortui cadaver reverentia vetuit.

Edvard Tyson.

XXXI. De

XXXI.

De Dysenteria Castrensi ejusq; causa Verminosa & curatione

D. Pauli Brandii Medici Castrensis.

EXercitus Danici in Scania non ita pridem militantis cum Medicum agerem, inter alias contagiones Castra nostra infestantes, grassabatur præcipuè crudelissimus & sævissimus ille dysenteria dictus affectus. Cujus originem & causam paullo accuratius investigans observavi in scybalis non solum meis purulentis & cruentis; (nam & ipse hoc affectu lethaliter ægrotabam,) sed & in suis militum plurimi observavere mecum cruentæ cladis cruentos reos, scilicet, animalcula quædam anguineo flexu gregatim perreptantia variæ magnitudinis & formæ, quorum delineationem accuratam Curiosorum oculis in præsentiarum sistere nequeo, ob defectum microscopiorum, quibus illo ipso tempore, quod doleo, destituebar. Accedit, quod valetudo infirma cadaueris sectionem negaverit. Qvantam autem atrocissimorum dolorum Lernam excitarint hospites isti ingratissimi, intestina fodientes, mordentes, lancinantes, imò, in ipsa præcordia sævientes, quilibet facilè cogitatione assequi potest. Ideoq; ne malum ipso in limine hærens ulterius serperet, exitiumq; sibimetipsis cacarent ægrotantes milites ab expeditione Christianopolitana reduces, maturo consilio opportunum remedium datum fuit ab Archiatro Regio Celebratissimo Dn. D. Christiano Fossio tunc temporis præsente, scilicet absinthium non procul à Castris nostris ubiq; in agris luxurians, cujus summitatum in cerevisia cum Sale communi vel nitro coctarum largo ac tepido haustu bis terve in die facto, angvem, qvem juxta pro-

proverbium in ſinu ſuo fovebant, ſenſim necarunt ægrotantium plurimi. Qvo & ipſo conſilio Wilhelmus Trellund ante hos XXIV. annos Hafniæ percuravit dyſentericos qvam plurimos, qua de re extat adhuc ſcriptum ejus in luce publica, vid. Th. Bartholin. Hiſtor. 65. Cent. 2. Nec minori virtute pollebat aqva antidotalis Matthioli cum eſſentiâ abſinthii compoſita ad præſervationem propinata, ut nihil dicam de aliis remediis vermes ſive vivos, ſive etiam ante occiſos è ſedibus ſuis eliminantibus.

Hujus commatis obſervationes pathologiam animatam optimè illuſtrantes, cum altiori mentis indagine opus habeant, altioribus meritò mentibus relinquo, haudqvaqvã operoſè diſqvirens, utrum hæc vermiculorum generatio aëri an aqvæ ſive horum elementorum bigæ qvod ſuſpicor, imputanda, cum notiſſimum ſit aërem ſive athmoſphæram effluviis ſæpe putridis & verminoſis, ſub forma rubiginis interdum ſegetes & fructus horarios corrumpentis, arborumq; foliis arefactis auripigmenti ad inſtar adhærentis, ſcatere; variaq; in ſinu ſuo occulta vehere ſemina, in corpus quæ facilè trahi poſſunt; Aqvam autem æſtate præprimis, propter tunc frequentius ſilentes ventos ſtagnantem & qvieſcentem putreſcere, juxta illud Poëtæ:

Ut capiunt vitium, ni moveantur aqvæ.

Unde verminoſum ſeminium in ea hoſpitans propullulat & ab urente ſirio excluditur: Qvid mirum, ejusmodi progenie verminoſa prægnantem aqvam largiter hauſtam in ventriculo inſignes excitare turbas; quinimo, ſæpius lacertos & bufones ex ea produci, ceu illud qvam plurimæ teſtantur obſervationes ab Æſculapio noſtro Boreali Th. Bartholino annotatæ. Et Delphis Batavorum triennio abhinc menſe Auguſti à famæ celebritate Cl. Viro Dn. Lewenhoech admiratione pleno mihi per microſco-

pium singularis artificii unica in aqvæ guttula innumme-rum vermiculorum oberrantium numerum commonstratum fuisse memini. Quamvis & huc suam qvoq; symbolam addere soleant copiosæ in castris circumvolitantes muscæ, præcipuè majores illæ Spy-Fluer nostratibus dictæ, jam oletis ægrotorum, modò alimentis sive crudis sive coctis insidentes, fermentumq; hocce malignum in cibos transportantes, vel ovis ubiq; suis, ex qvibus vermes excluduntur, alimenta conspurcantes; qvinimò eædem & ipsæ cibariis immersæ assumtæq; catharsin excitantes. Ut nihil dicam de cerevisia novella, nec debita fermentatione à fecibus depurata, aut vetustate acescente, vel ex frumento ad putredinem vergente, & curculionibus (Malß-Würmer) scatente, confecta, copioseq; epota, hanc malorum Lernam pariente & fovente. Et hæc est symbola illa, forsan alibi obvia, qvam hac vice hisce doctis doctorum virorum observationibus, ex voluntate eorum, qvibus reluctari maxima mihi religio est, annectere volui. Hafniæ postridie calendarum Decembr. 1679.

XXXII.

Methodus Demonstrationum Anatomicarum, cum præparationibus qvibusdam selectioribus.

Caspari Bartholini Thom. f.

NEc omnia in uno cadavere possunt demonstrari, nec qvæ in uno demonstrantur, secundum omnes conditiones plenè exponi; Non illud, qvia qvarundam partium præparatio reqvirit ut aliæ auferantur, qvæ in eodem subjecto simul præparari non possunt; Non hoc, qvia ne inte-

integri qvidem menses sufficerent, omnibus ordine recensendis, quæ jam tum innotuêre circa partium conformationem & actionem, atque nostrum, qvem inde percipimus, fructum, ad Dei notitiam morborumque curam. Non igitur mirandum si in demonstrationibus Anatomicis qvædam admodum perfunctoriè, alia non omnino tangant Prosectores.

Primò igitur ad illam demonstrationem accingor, qvæ plerorumque viscerum naturalem situm exhibitura est. Sponte enim omitto longam enumerationem variarum corporis in partes divisionem, cum suffecerit indicasse communem omnibus, qvæ fit in ventres & artus: Nec circa integumenta universalia multum hæreo, qvæ alii aliter recensent; ego tantum triplicia agnosco, cutim, pinguedinem, & fibrarum motricium collectiones, qvæ constituunt tertium integumentum commune. Quæ verò de membrana adiposa, carnosa & communi musculorum vulgò dicuntur, ita explico, quod omnes non sint nisi à musculis exeuntes fibræ, qvæ hinc inde expansæ membranas formant, sed tantum particulares; dum verò à musculis in cutem exeunt, hinc inde pinguedine intercipiuntur, ut nullam pinguedini propriam membranam reperire liceat, ita per universum corpus expansam, ac Antiqui voluère. Quæ de panniculo carnoso dicuntur, desumpta sunt à musculis cutaneis hinc inde in corpore apparentibus, quæ in quibusdam animalibus majorem, in aliis minorem corporis partem investiunt. Deniqve quintum corporis integumentum, qvod omnes cujuscunque regionis & organi musculos comprehendere contendunt Anatomici, sectioni debetur, non naturæ, ideoq; peritia Sectoris, qvam ad membranæ hujus præparationem requirit *Riolanus*, in eo consistit, ut relecet omnes

 fibras

fibras ab offibus vel mufculis exeuntes. Verè enim ex mufculis fingularum partium exeuntes fibræ concurrunt ad componendam membranam fingulis membris propriam, licet omnibus mufculis communem.

Luftratis integumentis, qvæ communia vocant, ut jam pectoris & abdominis vifcera in naturali fitu demonftrem, ea ratione mufculos & pectori anteriùs incumbentes, & abdomen tegentes præparo, ut eorum demonftratio deinde fieri poffit, ubi ad *M*yologiam fpecialem pergendum. In cadavere autem aperiendo obfervo methodum apud Celeberrimum *Stenonium* qvondam vifam: Portionem cutis digitum latam relinquo in medio corpore à collo ufque ad pubem, idque ut tendinum in cutem tranfitus demonftrari poffit, & de communibus involucris controverfia dirimi. Nec chiafmum circa umbilicum inftituo, fed primò cutim, deinde pinguedinem, nulla fectione laterali divifam, à medio verfus latera feparo. Mufculum pectoralem à fterno, abdominis verò mufculos refeco à parte offea coftarum & vertebris, ita ut parti cartilaginofæ fterni, lineæ albæ, & offi pubis adhæreant; vel interdum etiam ab offe pubis refectos uno in latere per mufculum tranfverfum vertebris adhærentes relinquo. Deinde abdominis mufculos ita ab invicem feparo & à peritonæo, ut tamen peritonæum integrum maneat, & connexio ejus cum linea alba & diaphragmate poffit demonftrari. In refecando fterno, primum carnem inter duas coftas ita removeo, ut pleura non lædatur, hinc pleuram fub coftis deprimo, (non fine difficultate ob communicationem fibrarum) ut pleuram integram confervem, ubi cartilago ab offe dividenda eft; id quod fub fingulis coftis & claviculis, quantum fieri poteft, obfervare nitor. Sternum autem ipfum non elevo, nifi in de-

demonſtratione, ut in remotione ejus agnoſcant in mediaſtino, ſeu inter pleuræ duplicaturam, nullam reperiri cavitatem.

Ita remoto ſterno cum muſculis, qvi anteriora pectoris & abdominis formant, in conſpectum prodeunt duæ membranæ ſuam quælibet cavitatem interiùs veſtientes, nimirum peritonæum & pleura, & demonſtro illas non undique partes contentas ita involvere, ut cortex ovum, ſed liberam relinquere illam viſcerum partem, quæ reliquo corpori continuatur. Adeo ut nonnulla viſcera certo loquendi modo potius extra membranas conſtituta ſint, ſicut verè ipſa vaſa majora fere omnia extra eandem membranam reperiuntur. Id quod facilè percipitur ſi quis mente concipiat dictas cavitates omnibus viſceribus vacuas membranis modo nominatis interius obduci, & ſub membranis deliteſcentia viſcerum primordia, veluti ſemina, ex vaſis majoribus progerminare, qvæ dum creſcendo exſurgunt, ipſam ſupra ſe membranam ita elevarent, ut partes excreſcentes omnes eâ exterius tecta manerent, exceptâ illâ ſui parte, qua reliquo corpori continuantur. Præterea de peritonæo obſervo, quod diverſa nomina, ut meſenterium, meſareum, ligamentum ſuſpenſorum hepatis, alæ veſpertilionum uteri, duplicaturæ & proceſſus, non deſignent niſi ejuſdem membranæ varias partes, prout variè à partibus contentis extenditur. Sic in pectore mediaſtinum pleuræ pars eſt.

In recenſendis contentis viſceribus pectoris & abdominis ſequor ordinem quo ſe ſingula exhibent: Ubi in pectore primùm thymus, inde pericardium cum corde, ad latera pulmones conſpicuuntur; Nam Aſpera arteria, œſophagus, thoracicus ductus, arteriæ & venæ, necdum ſpectantium oculis commodè exponi poſſunt. De corde

hoc loco suffecerit innuisse, apicem ejus in homine ferè semper sinistrorsum inclinare, basin autem in medio sitam ad latera auriculas exhibere. In abdomine conspicuuntur primò vasa umbilicalia, sive, vena umbilicalis, urachus & arteriæ umbilicales, inde omentum, mox ventriculus, cui à dextris hepar est, à sinistris lien, circa medium inferius pancreas situm est.

In ductu intestinorum sequens ordo observatur: Ventriculum excipiens portio immediatè sub hepate sita aliquantulum deorsum in dextro latere fertur, inde à dextro versus sinistrum transversim inter mesenterium & vasa majora ad lienis regionem transit, ubi iterum sinum formans variis plexibus circa & infra regionem umbilici inflectitur, donec prope renem dextrum colon excipiat, quod transversim sub stomacho sinistrorsum fertur, ubi figuram S. majusculi imitatur, & in rectum desinit. Infimo loco abdominis, anterius vesica, posterius rectum, medio loco in fœminis uterus cum annexis partibus, in viris organa generationis videntur.

His ita in situ naturali intra corpus visis, educo simul omnia & thoracis & abdominis viscera continuo ductu, relicto diaphragmate, cujus tria foramina in unum reduco, ut pectoris viscera detrudantur in abdomen. Diaphragma vero relinquo, ut ejus veras connexiones deinde examinem, eandemque ob causam nec linguam cum œsophago educo, ut postea veros horum musculorum terminos exhibere possim, sed circa jugulum reseco asperam arteriam cum œsophago. Hæc omnia educta absque alia præparatione in tabula dispono, primò secundum situm naturalem, deinde totum canalem seu viam alimentorum à vasis atque mesenterio liberatam, in alia tabula ita explico, ut uno intuitu conspici possit series integra viæ

hujus

hujus alimentorum, quæ quibusdam in locis ſtrictior eſt, alibi amplior. Dilatatio præcipuè conſpicitur in ore, ventriculo, & colo; os inter & ventriculum interceptus canalis anguſtior, œſophagus dicitur. Hunc excipiens dilatatio, ſtomachus, cujus principium, os ſtomachi, finis pylorus. Inter ventriculum & colon interceptus canalis à pyloro ad pori bilarii inſertionem uſque, duodenum, inde longo tractu jejunum, tandem ileum dicitur; Coli principio juncta appendicula, Cœcum, ultima pars colum excipiens, Rectum nuncupatur. Nec amplius difficile erit viſa ſerie partium, ut ſe invicem ſecundum ductum canalis excipiunt, implicationem earundem, quam intra corpus naturalis exhibet ſitus, intelligere. Colon enim quod remotum eſt à ventriculo ſecundum ductum canalis, eidem proximum eſt in connexione partium.

Quod contenta in via alimentorum attinet, ad duas claſſes illa reduco, unam aſſumptorum, alteram è ſanguine ſecretorum. Aſſumpta ipſa fluida & ſolida, ſi comminuta & cenfuſa extra corpus ſibi relinquerentur, in ſe ipſa agerent, & reſolvendo particulas, calorem, nonnunquam ſimul & bullas excitarent; dum verò in via alimentorum ſecretis à ſanguine humoribus junguntur, qui jam ante ex ejuſdem generis corporibus mediante ſanguine præparati ſunt, & per cribra glandularum conglomeratarum (ſc. ſalivalium & pancreaticarum) atq; hepatis ſecreti, geminus inde effectus ſequitur, dum & reſolutio illorum facilior evadit, & illa tantum inde reſolvuntur, qvæ iſti individuo conveniunt.

Viſo ita canali ſeu via alimentorum, ut ſanguinis etiam viam demonſtrem, reliqva pectoris & abdominis viſcera, ubi cor, pulmones, hepar, renes &c. per vaſa ſanguinea cohærentia ita in circulum diſpono & ſeorſim in alia tabu-

la

la explico, ut tota vasis sanguinei figura appareat, ad ejus figuræ exemplum effictа, quam, per ventriculorum cordis separationem, & reliquarum partium, quæ ad hanc sanguinis œconomiam pertinent, dispositionem, sanguinis cursui conformem, factam exhibuit Celeberr. *Steno*, quæ figura in Editione ultima Anatomes Parentis mei quartùm Renovatæ in fine addita est. Pendet hæc tota præparatio à divisione ventriculorum cordis, quæ, vasis sanguineis in basi cordis benè præparatis & distinctis, atqve auriculis probè ab invicem divisis, instituitur in medio septo, incipiendo dissectionem carnium cordis secundū lineam quam vasa coronaria perreptant, & quæ differentiam ventriculorum ostendit. Deinde ligamentum inter utramque cordis arteriam dissecetur, & dexter ventriculus cum vena cava, quæ ab hepate venit, & arteria pulmonali ab una parte locetur, sinister ventriculus cum vena pulmonali & arteria aörta ab alia parte, in medio pulmones; inde reliqua viscera per vasa sanguinea in circuli formam cohærentia: Scilicet hepar à dextris, infra, intestina, vel, si illa abscissa sint, vasa mesaraica, sub quibus renes cum omnibus illuc pertinentibus vasis, & ad vesicam, partes generationis atque artus inferiores euntibus à sinistris verò lien. Poterunt quin etiam conservari vasa ad caput & artus superiores euntia, ab iisque redeuntia, ut ita in una tabula tota sanguinis via habeatur, & uno intuitu percipiatur. Præcipua enim cordis, tanquam musculi, functio consistit in propellenda tota massa sanguinea in orbem, quem motum sanguinis Circulationem nominarunt, quia per arterias à corde sanguis continuo pellitur in universas corporis partes, & ab iisdem iterum per venas reducitur in cor circulo absoluto. Est tamen quædam hujus circulationis observanda diversitas. In animali enim jam aërem

aërem hauriente & adulto, è dextro cordis ventriculo exiens sanguis ad pulmones per arteriam pulmonalem, iterũ à pulmonibus redit ad sinistram cordis auriculã, per venam pulmonalem, & inde per sinistrum ventriculũ & arteriam aörtã versus omnes corporis partes distribuitur. A quibus iterum per venas reflui sanguinis pars ab intestinis & liene veniens, mediante vena porta & hepatis cava, reliqua immediatè venam cavam ingreditur, & inde primò in dextram auriculam, hinc in ventriculum dextrum revertitur. Et ita circulum suum absolvit sanguis, ad locum reversus unde primò distributus est. In Embryone verò, dum adhuc intra aquas ut utero vivit animal, sanguis qui per venam cavam ad dextram auriculam pergit, non totus ingreditur ventriculum dextrum, sed ejus pars ex dextra auricula immediatè in sinistrum ventriculum transfunditur per foramen, quod ovale vocant. Qui verò dextrum ventriculum ingreditur sanguis non totus inde abit in pulmones, sed maximâ sui parte per canalem seu tubulum arteriosum in arteriam magnam propellitur. Est itaque hæc differentia inter sanguinis motum in animali vivente intra aquas uteri & in aëre vivente, qvod in hoc omnis sanguis, in illo non nisi exigua ejus pars per pulmones transeat, adeoque ab auricula dextra duplex via sit in arteriam magnam, una per auriculam sinistram & ventriculum sinistrum, altera per ventriculum dextrum & canalem proprium. (Notandum autem postquam editum jam est animal, & respirationis usum habet, ultimam hanc viam aboleri, cum ille canalis obturetur & naturaliter in ligamentum degeneret, quemadmodum & foramen ovale valvula clauditur.) Per aôrtam distributus sanguis, non totus intra fœtum manet, sed ejus pars exiens ad membranas & glandulosa corpora utero annexa, inde novo succo imprægnata redit ad hepar

& cum sanguine reliquo fœtus jungitur. Sic in fœtu uterque cordis ventriculus junctis viribus pellit sanguinem, quemadmodum etiam uterque junctim recipit redeuntem. Magnam hujus diversitatis necessitatem ostendo, quia in fœtu longior est via per quam pellendus sanguis, nimirum per vasa chorii & cotyledonum, ita & ab iis redeuntis major est quantitas qvam in adulto.

Modus demonstrandi motum sanguinis circularêm varius est. Primus, cum in vivo animali insigniores rami arteriosi & venosi in cruribus aliisve partibus detecti ligantur, ut videatur pars venarum ab extremis ad ligaturam sanguine adveniente impleri, altera verò detumescere; pars autem arteriarum à corde ad ligaturam usque impleri sanguine, sed illa à ligaturâ ad extrema inaniri, & sanguine destitui jam ad omnes partes abeunte. Alter modus est, cum per vulnus vel venæ vel arteriæ totus è corpore sanguis educitur, aut quivis liqvor per idem vulnus ad omnia vasa implenda propellitur. Nec minus necessarium talem motum sangvinis demonstrat apta Receptaculi sanguinei conformatio, & admirabilis valvularũ in corde dispositio, quod artificium elucet maximè, si per septum medium dividatur cor & disponatur eo modo, quem supra docui. Servit ita Receptaculum Sanguineum non solùm fluidis variis tum admittendis & inter se committendis, sed etiam iisdem in circulum agendis, & versus omnes corporis partes distribuendis.

Circa sangvinem duo examino, unum, cur perpetua ejus requiratur circulatio; alterum cur modò in unum communem alveum colligatur, modo per minutissimos canaliculos dividatur. Quod postremum spectat, dividitur, quò facilius expellantur secernenda, & admittantur recipienda, dum canaliculorum multiplicitas efficit, ut

plu-

plures à sangvine partes, & quidem facilius secernantur, quantò scilicet plures superficiem cribri tetigerint. Colligitur autem sanguis iterum in unum communem alveum, ut à diversis partibus diversus rediens, ad statum uniformem reducatur, ubi alvei simplicitas efficit, ut homogeneus evadat sanguis, qui ex diversarum partium canaliculis redux diversæ est naturæ; Cum enim versus omnes partes propulsus, non easdem sed diversas sui particulas in singulis cribrorum differentiis, deponat, non mirum si ex diversis redux discrepet ab invicem. Motum autem perpetuum sanguinis necessarium judico, quandoquidem animalium vita non alio pacto constet, quam ut qvolibet momento aliquid perdens corpus, sui restitutionem in singula momenta requirat: Præterea nisi continuo motu fieret particularum concussio, omnes particulæ graves inferiora corporis peterent, solæ leves hærerent circa caput vel partes magis elevatas. Atque hac occasione ex generali materiæ & motus consideratione Physica, multa de sanguine convenienter deduco, quæ communem fluidorum notitiam illustrant.

Vidimus hactenus viam alimentorum & sanguinis, superest considerare quia via alimenta & assumpta sanguini communicantur, & inde quibus viis excreta sanguinis excernuntur.

De assumptorum distributione, illam statim ab ipso ore incipere existimo, cum spirituosa ore assumpta hominis lassi vires cum suavitate velut momento restaurent; Præcipuè verò cum admittamus capillaria vasis sanguinei, per totum alimentorum ductum diffusa esse, & ex assumptis quædam faciliùs, alia tardius à reliquorum nexibus liberari, adeoque negari non potest quin ubique illa in sanguinem ferantur, quæ à reliquorum nexibus libera vasa ca-

pillaria sanguinea contingunt. De distributione autem chyli magna hactenus fuit controversia, tum quoad vasa, quibus ab intestinis in sanguinem ferri diversi crediderunt, tum quoad ductum vasorum, quæ chyli distributioni inservire clarius postea deprehensum est. De priori controversia nihil dicam, nimirum qua via feratur, cum sit notum satis per venas lacteas hoc fieri, & falsam esse aliorum sententiam, qui vel immediatè ex ventriculo chylum ferri volunt ad organum sangvificationis, vel ex intestinis, sed mediantibus aut poro cholidocho, aut ductu pancreatis Virsungiano, aut venis mesaraicis vulgaribus, prout diversi crediderunt. Pro ultima via per venas mesaraicas plurimi steterunt, quā adhuc, sed frustra, defendunt alii & lactea esse volunt excretoria vasa glandularum interioris tunicæ intestinorum, nihilque esse nisi albicantem lympham quicquid in lacteis videmus, ex glandulis intestinorum procedentem, qvæ succum suum ab arteriis accipiunt. Cœterum uti hoc de lacteis primi, ut vocant, generis, inter intestina & glandulas mesenterii interceptis, falsum existimo, ita de reliquis quæ à glandulis mesenterii feruntur ad receptaculum, uti & de ductu Thoracico observavi, illa vasa distributionis alimentorum tempore chylum vehere, aliàs verò lymphâ glandularum conglobatarum impleri, qvam sanguini affundunt. De Lacteorum distributione diu inter Autores non convenit, dum alii ad solum Hepar chylum per illa ferri voluerunt, alii ad Cor simul & Hepar. Sed ex novissimis Parentis mei observationibus unicam tantum chyli viam ad cor demonstro, & omnes erroris convinco, quotquot non satis animadverterunt, lymphatica ex Hepate prodeuntia, illa vasa esse, quæ pro lacteis chylum allaturis sumserunt.

Ad

Ad demonstrandas autem venas illas lacteas cum thoracico ductu, aperto post pastum animali vel vivo vel strangulato, vinculis chylum inhibeo tribus locis: Primò inter instina & glandulas in medio mesenterii; deinde prope receptaculum ubi lacteorum truncus, vel unus vel plures seqvuntur ductum vasorum sanguineorum, quæ ibi cum ramo mesenterico superiore ab aörta prodeunt; denique in thorace omnem inhibeo chylum, ligato Pecquetiano ductu, cujus in venam insertio hoc modo investigari potest: separata cute in latere sinistro usque ad spinam dorsi; & detecto latere sinistro colli, sectio recta instituitur per musculum cucullarem & Rhomboidalem, atque inserto digito intra scapulam & serratum majorem, resecanda est serrati connexio cum basi scapulæ, & sic tota scapula in latus dextrum rejicienda, deinde, delecto plexu nervorum, sub iisdem nervis inserendus est stylus, ita ut à subjectis partibus liberati dissecari possint absque læsione partium subjacentium, atque tum membranæ, vel si quæ inter membranas fuerit pinguendo cautè removenda est, & si lactea vel lymphatica necdum in conspectum prodierint, aperiendum est pectus & costæ à cartilaginibus separandæ usque ad collum, ubi inventus thoracicus ductus sursum in venam continuandus est; vel etiam lymphatica colli quærenda sunt & deorsum ad venam continuanda. Magna autem attentione utendum in membranis resecandis ubi multiplicitas lymphaticorum sub illis interdum occurrit.

Hac igitur via chylus ex assumptis in via alimentorum elicitus sanguini subministratur, scilicet per ductum thoracicum, & cum sanguine commixtus sensim ejus induit naturam, & varias cum illo circulationes experitur. Itaque cum viderimus quomodo sangvinis conservationi

necessaria subministrantur, & quas in Receptabulo suo sanguis subit conditiones, videndum jam quomodo inde pendeat corporis nostri conservatio, & quomodo à sanguine separantur humores diverso loco & usui diverso, scilicet per viscerum cribra, quæ sua habent excretoria vasa, quorum omnium particulare examen instituo. Et primò cerebrum administrandi brevissimum modum propono. Duo enim partium genera ordinem demonstrationum Anatomicarum interrumpunt, alterum, quia fœtorem contrahit, alterum, quia consistentiam sectioni convenientem amittit. Ad prius incommodum evitandum ab intestinis feci exordium; ut alterius damnum præveniatur, ad cerebrum festino.

In cerebro, præter partes reliquo corpori communes, geminam tantum cognosco substantiam, albam scilicet, quæ etiam fibrosa est, meritoque nervorum continuatio habetur, & cineritiam, quæ fibris caret, & vel exterius circa albam, vel interius in interstitiis ejus conspicitur, quæ hic cribri vice fungitur. Ut verò una lectione integra cerebri notitia ab omnibus percipiatur, circa præparationem sequentia notanda sunt: Posset quidem in uno cerebro talis fieri præparatio, quæ omnia exponeret nobis certò de hac parte cognita: cum autem frequentior agitatio partium mollium tandem multas illarum nimium immutet, præstat plura ad manus habere cerebra ex animalibus desumpta & variè præparata. Præcipua præparatio est, qua exhibetur orthographia cerebri secti plano ad basin perpendiculari, per longitudinem falcis, (& tum media pars cranii aptius integra relinquitur, ut in ea cerebri altera pars lateat) quæ claram notitiam de vero ductu ventriculorum, deque vero situ glandulæ superioris omni dubio eximit. Poterit in alio cerebro fieri orthographia trans-

transversa triplex, una transversim per longitudinem glandulæ superioris, qvam pinealem vocant, altera per medium transversum posterioris partis, tertia ita ut transversim secet secundum par tuberculorum & continuationem ventriculi cum glandula inferiori seu pituitaria. (Harum sectionum cerebri figuræ videantur in Tractatu Gallico *Stenonii* de Anatome cerebri.) In alio cerebro posset fieri talis partium abinvicem separatio, ut ventriculorum extremitates absque sectione pateant, maneantque oculi per nervos opticos continuati cerebro, & venarum arteriarumque trunci non nimis prope caput resecti. Ultimi cerebri præparatio fiat resecando partes laterales ab intermedia parte alba laterales connectente, ipsamque partem posteriorem cerebri, in uno latere resectam, mediam dividendo. Possunt etiam piscium & avium cerebra inspici & ex quocunque animali cerebrum cum tota spinali medulla aperiri, cum detectione nervorum plexus insigniores versus artus mittentium in uno latere. Quæ operosa cerebri præparatio ex diverso animalium genere vero ordine disposita, omnem de cerebro notitiam, hactenus certò detectam, lectione non adeo longa explicare potest, idque incipiendo ab eo in quo partium lateralium & posterioris facta talis divisio, ut ventriculi videantur; Inde orthographiam factam secundum longitudinem falcis explicando, hinc visis reliquis orthographiis, in cerebro humano omnia ordine denuò incipiendo.

Cœterum ad Viscerum cribra progredior, quæ non sunt nisi circa capillaria sanguinea vasa circumfusa materia, ideo dicta affusio seu parenchyma, quod communi loquendi modo viscus appellatur, eademque cribra elabentem ex osculis vasorum humorem secernunt & per excretoria vasa eliminant. Vasis quidem capillaribus Receptaculi sangui-

gui-

guinei, quibus affunduntur cribra, pori adsunt emittentes, non tamen promiscuè omnes contenti sanguinis particulas, sed tantùm certas, easque in diversis partibus diversas. Sic vasa continua caruncularum renalium ductibus, particulas urinosas emittunt, quæ pulmonibus, halituosa excrementa, quæ verò generationis organis continua sunt, semini & ovo inservientes particulas, quæ bilariis ductibus, bilem, quæ glandulis salivalibus, pancreati & crustæ viam alimentorum obtegenti, particulas humoris resolventis emittunt.

Illorum singula in demonstrationibus seorsim attingo. Exempli gratia: ut conglomeratas glandulas exhibeam, ex cavitate oris tùm intra, tum extrà dentium septũ membranã oris cum suis glandulis removeo, sequenti modo: Membranã extra dentes cum adhærentibus ipsi salivalibus exterioribus tùm vasis, tum glandulis, totam extraho, & in tabula expansã à pinguedine ita libero ut globuli glandulosi in ambitu oris & buccis cum suis vasis majorũque salivaliũ in buccas insertione conspiciantur. Palatum seu cœlum oris investientem membranam cum glandululis non quidem totam separo, sed ita ab osse libero, ut exsecto per particulas osse circa anteriora pateat communicatio inter nates & palatum. Etiam naris alterius externum os ita distringo, ut communicatio inter palpebras & nares, per foramina dicta olim lachrymalia, pateat. Eodem modo reliquas etiam conglomeratas glandulas examino, & vasorum excretoriorum ramificationes in una solum præparo, exempli gratia, pancreate. Aliud deinde glandularum genus aggredior, nimirum conglobatas, uti vocant, quæ à sanguine receptum humorem revehunt in sanguinem per vasa lymphatica à Parente meo inventa. Harum conformatio cum renum conformatione convenit, quà cavi-

cavitatem loci unde exeunt excretoria vasa, & quà convexitatem partis oppositæ; differt verò ab eadem, quod in glandulis conglobatis ferè omnibus etiam vasa advehentia liqvoré, scilicet lympham, à sanguineis vasis diversa reperiantur. Tales glandulas cū lymphaticis in mesenterio demonstro inter vasa excipientia chylum ab intestinis & receptaculi radices, circa venā portam inter lymphatica hepatis & receptaculi radices, in lumbis, inguinibus, circa pulmones, in maxillis, in collo, supra fauces & sub alis.

Alia deinde in Receptaculo sanguineo vasorum excretoriorū genera considero, eaque tot constituo, quot diversos novi humores secernēdos, vel prorsus inutiles, ut excremēta pulmonū, sudorem, urinā &c. vel utiles sive speciei, sive individuo. Qui ad speciei, conservationé spectant, in mammis, utero & partibus utriusque sexus generationi inservientibus à sanguine separantur. Hi qui individui utilitati inserviunt, ideo plerumque secerni videntur, ut vel iis secretis & nunquam iterū admittendis massa remanens purior sit his liberata; vel iis secretis & postliminiò recipiendis, massa illa fluidior fit; vel deinde ut secreti & nonnunquam intra peculiares cavitates collecti, inserviant humoribus in canali alimentorum vel dissolvendis, vel dissolutis secernendis à se invicem & præcipitandis. In nervis etiam qui inter receptaculi sanguinei excretoria locum merentur, materia contenta, quæcunque demum illa sit, in cerebri cortice secreta, facit tùm ad motus voluntatem, tùm ad sensus perceptionem.

Ita in Receptaculo variè circulatur sanguis, & in diversis cribris diversas deponit particulas, ut massa remanens purior nutritioni corporis inserviat, cum particularum succi nutritii, per varias secretionum depurationes, talis à reliquis fit seclusio, ut in partium substantiam appositione facessant. Atque sic hactenus demonstravimus præcipua

P tan-

tantùm organa, quæ conservationi individui inserviunt. Restant adhuc illa quæ ad conservationem speciei spectant, obiter solùm antea notata, quæ cum organis sensus & motus strictiùs deinde examino atque demonstro. Hic saltem circa administrationem musculorum, addam modum quo vera musculi & fibræ motricis fabrica, quam nobis aperuit celeberr. *Steno*, oculis exhiberi possit. Et primo quidem talis fibræ motricis fabrica in variis apparet corporis locis, ipso musculo intacto, sed remotis duntaxat partibus conspectum ipsius impedientibus. Sic in manu remotis aliis musculis, solo flexore pollicis intacto, fibræ motricis in eo verus situs evidentissimè conspicitur, & in femore, remotis tantum integumentis, rectus cum utroque vasto idem quam distinctissime demonstrat. Deinde in musculis, quorum fabrica simplex est, ut in gasterocnemio, idem exterius conspicitur, una eorum extremitate ab osse resecta sine ulla alia ipsius musculi præparatione. In omniũ musculorum administratione, nulla fit fibrarum sectio, sed sola contiguarum separatio, sive per longum sectio instituatur ad fibrarum ordines demonstrandos, sive per transversum ad earundem versus exhibendos. Sic, secundum methodum Stenonianam, sive simplicis sive compositæ fabricæ musculum præparo, fibrarum in alterutro tendine ductum sequor, & ita cultrum sensim adigo, ut à mutuo contactu tendinosas fibras separem, iisque continuas carnosas nullo pacto lædam, donec ad oppositum tendinem perventum fuerit, quam sæpius relinquo integrum. Cum hucusque continuata præparatio, simplicem musculorum fabricam satis evidenter declaret, ut compositam etiam fabricam more Stenoniano ostendam, utrinque in tendine externo secundum prædictam methodum procedo, medio tendine intacto: quandoquidem

dem sæpius se mutuo scandentes in intermedio tendine fibræ, nisi patienti adhibita attentione, sine laceratione vix separentur.

Paullò difficilior musculi cordis præparatio est, & vertebralium. De corde alibi agimus. Vertebrales verò musculi, quorum extremitas superior est in spinis vertebrarum superiorum, inferior autem extremitas in transversis processibus vertebrarum inferiorum, sequenti modo administrandi sunt: Detegantur primò principia spatiorum tùm inter spinas, tum inter processus transversos, deinde & à spatiis inter spinas deorsum versus processus tranversos inferiorum vertebrarum, & à spatiis inter processus transversos sursum versus spinas superiorum vertebrarum continuetur fibrarum separatio, semper abstinendo à sectionibus profundis, ne inferiores fibræ transversim secentur. Ut autem adstantium oculis eò commodius mirum illud naturæ artificium exponatur, ubi, facta quam modò dixi spatiorum divisione, ab una spina omnes fibras ad suum quaslibet processum transversum continuaveris, resecandæ sunt omnes fibræ, tum quæ descendunt à spinis superioribus, tum quæ ascendunt à processib⁹ transversis inferioribus; & ea ratione patebit continuatio fibrarum non solum à superiore spina in quemlibet transversum processum inferiorem, sed & ab infimo processu transverso in singulas spinas superiores.

XXXIII.

Anatome mulieris 30. annorum, phthisi, hydrope thoracis, ascite, ac vesiculari extinctæ.

APerto abdomine in ejus cavitate libræ aliquot (ad summum 6. 7.) aqvæ reperiebantur, & quidem clarissimæ instar fontanæ. Crustæ spongiosæ pellucida, clara, turgescens & quasi vesiculis inclusa aquea materia, sperma ranarum sive mediam citri substantiam ac pinguedinem quasi resolutam referens, innumeris capillamentis ac fibrillis, partim rubicundis, partim albicantibus, sed omnibus linea recta à crustâ spongiosa in mesenterii substantiam tendentibus, erat adnata, quæ dicta materia per totum mesenterium continuabat ut & circa renes, copiosissimè verò circa intestina crassa hærebat. Hæc vesiculosa materia aquam contentam non nisi ad fortiorem sui compressionem, & quidem in loco tantum compresso maximè claram præbebat. Renes longiusculi conspiciebantur sinistri substantia non nihil solito compactior interius cruda sanguinolenta ac serosa erat. Quatuor, in utroq; latere binis, instructa erat ureteribus. Intestina, mesenterium, diaphragma, & omnia in abdomine contenta membranosa summè erant albicantia: Peritonæum duplo vel triplo solitò erat crassius adeoq; validum, ut etiam cultelli aciem ac cuspidem acerrimam respueret. In mesenterio lateris dextri paulo supra umbilicum sanguineo atra macula thaleri magnitudine erat conspicua. Pancreas non nihil induratum. Lienis color internus admodum niger. Hepar quoad colorem ac substantiam apparebat sanum; bilis verò crocei sive vitellini coloris erat & admodum

dum viſcida. Veſica urinâ vacua ; uterus oblongus, teſticuli indurati. Muliebria ſive pudenda, madida, turgida, rubicundiſſima, ac corroſa ex materia acri aquea, quæ, ut videbatur, continuò illa loca irrigaverat, horum labia externa in latere altero erant diviſa; uteri vagina adeò erat mollis, ut ſtylus ad levem qvamvis immiſſionem, eam perforaret. Pedes tumentes eâ adhuc vivâ, paulo ante ejus obitum, detumuerant. In diſſectione thoracis, & quidem primò lateris dextri aqvea turbida, innatante materia furfuracea cum impetu, ob ejus lateris repletionem, erumpebat materia fœtens. Latus ſiniſtrum vix dimidiam vel tertiam aqvæ partem, reſpectu lateris dextri, continebat, aſt clariorem ; pericardium ex nimiâ repletione qvaſi ſplendebat. Lobus pulmonum dexter nigricabat, furfureaq; materia hinc inde erat obductus. Superiori parte erat adnatus, ubi etiam adhuc ex ulcere aperto pureq; repleto pus promanabat ; totus hic lobus erat induratus ac friabilis inſtar hepatis cocti, ac intus materia purulenta hinc inde viſcida indurata fruſtulatim collecta apparebat ; Lobus ſiniſter purulentam ſpumoſam continebat materiam. Cor pingvedinem hinc inde habebat adnatam ut in ſtatu naturali, ſed ſangvine erat vacuum, ut & vena cava circa cor ſangvine depleta. Sectioni huic interfuerunt d. 23 *M*artii 1674 Dn. *E*ichelborn Medicus Noſocomii Erfurtenſis Ordinarius, cujus juſſu hanc ſectionem peregi, Lic. Dórner, jam Doctor & Practicus feliciſſimus Northuſiæ, N. Schorck *M*ed. Pract. Erfurtenſis. &c.

Simon Warmbold.

Figura I.
Ureteres duplices.





Fig. 2.
Vulva fissa.



XXXIV.

Cardialgia ex Vermibus.

IN pago Vindinge Fionum, cum rusticus operi suo intentus res suas sanus ageret, subito, relicto opere domum se conferens, cardialgiam sensit. Superveniente mox vomitu vehementi, rejecit magnam massam materiæ pituitosæ, cui immixti visebantur 200 vermes lanuginosi viventesq; medium digitum longi, pediculis suis & capitibus rotundis conspicui. His rejectis, convaluit. Similis affectus etiam aliam feminam ejusdem pagi comprehendit ipso hoc anni hyemalis tempore.

XXXV.

De Tumentibus senum pedibus.

Ad

D. D. *Simonem Paulli*

Archiatrum benemeritum.

PRopoſuiſti, Vir Magne, mihi & Cl. Borrichio qvæſtionem enodandam in Digreſſione Tua nunqvam ſatis laudanda De Febribus Malignis §. 87. nuper ſecundis curis edita, de Tumoribus pedum in ſenili ætate, in corporibus non cachecticis nec ſcorbuticis, ſed maraſmo ſenili laborantibus, de qva ſententiam noſtram in Actis Medicis Hafnienſibus referendam, amicè deſideras. Pareo voluntati, nec qvicqvam tanto Viro denegem, qvanquam nollem noctuas Athenas. Tibi enim Veterano Medico tot experimentis Artis divinæ dudum probato, mallem credere, qvam ingenioſam tua commentationem in dubium vocare. Demorſos ungves ſapit quicqvid ex penna tua fluxit, & qvia orbem eruditum hactenus fama ingenti meritisq; impleviſti, admirari ſatius fuerit conjecturas tuas naturæ ſuffultas, qvam vel augere vel illuſtrare. Ibin ajunt, ubi conſenuit, magis aromaticè olere, & vitis qvo vetuſtior, eo melius vinum gignit. Ita de Te, ſenex venerande, judicamus, cui anni judicium, diligentia eruditionem peperit. Quotiescunq; cum Sophocle non tragœdias ſed ſcripta tua recitas, dicere cum illo potes; ſi ſum Sophocles, non deliro; ſi deliro, non ſum Sophocles; in eruditis enim ac ſobriis, ſicut Parens Eloquentiæ loqvitur, animi vis non elangueſcit, ſed reviviſcit potius uſu & exercitatione, qvam in canis Tuis veneramur. Vides qva mente à Te provocatus accedam, non ut doctum doceam, ſed ut docear à docto. Judicium enim tuum

tuum de lympha nostra in marasmo senili errante magnifacio,& qvicqvid hisce tuis, tuo rogatu adjecero, tuæ censuræ subjicio, ut amorem tuum perennem prompto obseqvio merear. Duplicem causam tumoris in pedibus senum marasmo vicinorum statuis, defectum lymphæ à caloris defectu, & Vasorum Lymphaticorum retentricem debilitatam. Ingeniosè hæc, ut omnia tua, specie veri se commendant. A defectu lymphæ marasmum deduci, non potest negari. Tumorem pedum à Vasorum Lymphaticorum retentrice facultate debilitata repeti, absurdum non est, qvæ qvanqvam etiam sine senio hac parte debilitari qveant in Scorbuto & hydrope juvenum, tamen in ætate ingravescente facilius rumpuntur subtiles lymphaticorum ramusculi, præsertim copia lymphæ acrioris irruente & incumbente, nec intra alveos suos libenter retenta. Non miramur Demonacti seni crura intumuisse, cum, ut ipse jocabatur, Charon illum momorderit. Inqvilinus canis morsu suo vascula nullo negotio discerpit & fatum hominis ad pedes præcipitat ut vicinius sit exitu. Aliàs varia alia in pedibus senum symptomata observavi. Nonnunqvam sine tumore ullo maculas sangvineas per totum pedem dispersas. Eas vidi in Anna Finckia Matre mea 84 ætatis anno, & Consule Christophoro Johanneo, socero meo 81 annorum. Quibus apparentibus benè habuere, disparentibus verò, malè, brevi enim subsecuta est mors. In aliis senibus sicca scabies molesta ad ultimum vitæ diem apparuit. In non paucis vidi, nec tumorem, nec maculas, sed siccitatem cum duritie surarum. Ubiq; lymphæ defectus fuit in siccatis ætate membris senum. In nonnullis tumorem œdematosum, ex qva aqva stillabat in Matrona honesta, qvi tandem in gangrænam terminatur. Isq; plerumq; Scorbuticorum proprius, humore fæcu-

culento ad pedes, vitâ ſedentariâ, defluente. An hic à lympha originem trahat, non auſim negare. Serum extravaſatum qvidem improbare videris, qvia ſymptomata Hydropicorum non adſunt, ſed latet anguis in paludibus. Seqventur illa, niſi ſedulâ curâ prohibeantur. Cachexia certè ſenectutis eſt proprium, ut ſcribit *Aretæus* l. 1. Chron. c. 16. Serum verò illud, qvid niſi lympha, quæ in Hydropicis & Scorbuticis vel copia laborat, vel acrimonia moleſta eſt, vel loco peccat, extra terminos vaſorum oberrans. Cur horum ſenum pedes tumeant, illorum areſcant, non difficile eſt diſcernere. Diſcrimen iſtud temperies cujusvis conſtituit. Siccis qvippe, pedes contabeſcunt, habituoſioribus & ad ſcorbutum proclivis, intumeſcunt. Quod inductione exemplorum didici. Nec ipſe ignoras in tanta experimentorum multitudine. Hinc utrisq; ſua curatio attemperanda, ſive, ut verius dicam, mitigatio. His exſiccantia, illis humectantia conveniunt; roborantibus permixta. Veteres oleo ungebant pedes anteqvam calceos induerent, qvod ex *Heſychio* notat *Meurſius*, unde λιπαρόποδες apud Poëtas: & ne deficeret remedium in itinere, pedibus labore fatigatis vel exſuccis, ampullam ſecum olei portabant. Ita *Plautus* in Mercatore: tollo ampullam, atq; hinc eo. Oleum qvoq; poſt balneum ſiccis intemperiebus & ſenio commendat *Trallianus* l. XII. c 4. & à ſomno frictiones olei laudat *Oribaſius* l. 1. Euporiſt. c. XI. Tumentes humore pedes à Tuo Emplaſtro Anodyno Nervino ſuppetias petunt, qvod in uſus mortalium publico propagaſti, & tuis pedibus probaſti & meritus es ſummo hactenus, qvod gaudemus, emolumento. Deus animo pedibusq; Te diu ſervet incolumem, ut licet pedes officium facere per ætatis glorioſæ computum & ingruentes tumores neqveant; alis tamen

*M*ercurii ſubleveris ad æternam, qvam meritus eſt, famam. De pedibus meis majora expectare non auſim, qvanquam diſpari ſorte. Tabeſcent enim ſenſim & gracili textura vix ferendo corpore pares erunt, cum vita veſperam induxerit. *A*d ſenectutem quippe, quæ jam mihi 64 agenti annum, Tibi 77, imminet, veluti ad officinam omnia mala accedunt, Tibi tumentes, mihi graciles pedes, ut diſpari gradu ſine convitiis ad eandem tamen metam diverſis pedibus properemus. Eleganter olim Alexis Poëta Comicus, apud *Stobæum*, cum qvidam ipſum ſenem ægrè incedentem intuitus, qvid ageret, interrogaſſet; paulatim ſe per ocium mori reſpondit. Non omnis tamen moreris. Poſtera laude creſces, qvam Anatome augebit, à Te primo in Academiam noſtram introducta, nuperq; donario inſtrumentorum Anatomicorum, in primis Hyſtericorum ſeu qvæ ad Fœtus eductionem ſpectant, exornata, qvo tua merita in Theatro Anatomico perennabunt. Cum *Kirſtenio* Tuo claudam:

Vive, qvod reſtat fugientis ævi:
Quicqvid extremo ſuperes in actu
Lene decedat, nihil exeuntis
Vota moretur.

T. B.

XXXVI.

De Fluore albo.

SCorbuticæ Matronæ fluore menſium albo fatigatæ, cum variis ex arte præſcriptis remediis non ſatis ex voto procederet ſanitas, conſilio amici Electuarium præparari juſſit qvod ex Abbate Italo acceperat, non huic tantum malo ſed ſtomacho roborando, ruboriq; faciei pro-

profuturum, me tamen prius consulto. Dissuadere usum non potui, cum præmissis qvæ ex methodo præcedere debebant, Electuarium hoc ex aperientibus ventriculumq; roborantibus compositum viderem. Nonnihil tamen à me immutatum fuit, cum à manu medicarum rerum non adeo perita scriptum esset:

R. *L*imaturæ Chalyb. præp. & nutritæ in aceto commun. per novem dies ℥ij.
Mirobalan. Chebulor.
Indor.
Belliric.
Emblic.
Nucis Moschatæ an. ʒv.
Sem. nasturt. Ind.
Ameos
Herb. Origani
Piperis
Oliban.
Zinziber.
Pulp. Tamarind.
Spic. Nard.
Squinanth.
Rad. Ciper. an. ʒiij.

Contunde Contundenda, tere terenda, inprimis mirobolana contundantur cum ol. amygd. dulc. qvod deinde prorsus abstrahatur ut sicca sint, exinde in pulverem terantur.

M. f. l. a. Electuarium.

In mulso vel vino alternis diebus exhibendum qvantitate nucis. Multorum experientia probatum, non malè cessit Matronæ honestissimæ, usitatis antea medicamentis præparatæ.

Aliàs non unam fluore albo afflictam restitui vino medicato ex aperientibus & uterinis, deniq; decocto rad. Chinæ. Inter rara experimenta & sæpenumero feliciter probata adversus albas Mulierum fluxiones, hoc accepi in Italia; cremorem nempe seminis lactucæ prius macerati in aqva extinctionis chalybis, addito pulvere eboris in tenuissimum pollinem reducti.

XXXVII.

De gemmarum odore,

D. Olai Borrichii.

UT gemmæ in medendo laudem meritam tueantur, in eas minutias longo attritu comminuendæ sunt, ut dentibus admotæ nihil stridoris excitent, aut, ut præclarè *Galenus* de simpl. med. fac. l. IX. c. XIII. imitentur subtilitate pharmaca, qvæ ingeruntur oculis. Hoc instituto rogabam Medicinæ studiosum in ædibus meis viventem, ut cùm satis nonnunqvam perfunctoriè insistatur in pharmacopoliis gemmarum trituræ, ille patientiam menstruam istuc converteret. Offerebam ergo Smaragdorum, hyacinthorum, sapphirorum, rubinorum, & margaritarum ana unciam unam; qvibus primùm, ut erant rudes & integræ, in mortario ferreo nitido, ministerio pistilli itidem ferrei, pavllulum comminutis, ventum est ad mortarium vitreum, in qvo, per aliqvot horas singulis diebus, pistillo vitreo, affusâ subinde aqvæ vulgaris stillatitiæ portiunculâ gemmas has longâ patientiâ attrivit. Elapsis jam in terendo tribus circiter hebdomadibus, cœpit totum ejus Muséum, utcunq; satis amplum, gratissimo odore perfundi, eoq; non fugaci, sed ultra integrum triduum perseve-

ran-

rante. Erat autem odor ille ut varietate & ſvavitate naribus acceptiſſimus, ita pavllò vicinior violis Martiis deliscatè fragrantibus. Neq; importati aliunde odoris ulla ſuſpicio, qvippe totum conclave ab odoramentis aliis liberum. Subiit tum animum illud in Muſeo Aldrovandi Metallic.: *A lapidibus Mariæbergicis malleo percuſſis odor moſchi egreditur.* Id qvod ab *Anſelmo Boetio* mutuatus eſt, cui & ſaxa Lavenſteinia violam traduntur olere, & Hildeſheimenſia, ſi malleo percutiantur, cornu aduſtum. Qvin viſus mihi apud illuſtrem *Septalium* Mediolani lapis ſtellaris, qvi ſolo frictu calefactus reddebat odorem humani ſtercoris. Et apud Cardinalem Urſinum Romæ conſpecta mihi vaſa terrea Luſitanica ſponte odorifera.

XXXVIII.

Urina viridis.

Ol. Borrichii.

MAtrona nobilis ſextum menſem gravida corripitur febre tertianâ. Advocor, & qvæ malo avertendo opportuna ſunt, præſcribo. Poſtridie & ſeqventibus aliqvot diebus, dum urinam prægnantis inſpicio, oppidò viridem eam obſervo, ſedimento griſeo ſubſidente. Jubeo frontem & oculos mihi obverti, cogniturus anne in icterum declinet malum, qvòd compertum, urinas ictericorum aliqvando ex flavo virere. Nihil in vultu, in oculis nihil, qvòd de imminente ictero teſtetur. Ceſſavit pavllo pòſt malum pharmacis acidi nimii vires frangentibus expugnatum: qvid enim credibilius, qvàm bilem in corpore hoc cum potentiori acido confuſam ad vaſa urinæ penetrâſſe, & in itinere colorem ſuum flavum, ad

imperium acidi, in viridem convertisse, qvo nihil freqventius, ob eandem rationem, in excrementis infantum solet notari.

XII.

Ex tubis puerilibus periculum.

Ol. Borrichii.

JOhannis Træneri filius sex annorum, donatus à sedulâ matre, ante festum Natalitiorum Christi, varii generis crepundiis, ligneis eqvis, fistulis ligneis, tubis ex eodem argento confectis, omnibus diverso colore, præcipuè rubro & flavo incrustatis. In qvibus ventilandis, & usui puerili accommodandis dum sollicitè occupatur, rogatur forte in convivio à Parentibus, ut hospites grato tubæ suæ clangore exhilaret. Paret officiosè, & dum strenuum se se in novâ buccinâ animandâ præstare laborat, concidit ad mensam propemodum exanimis, & convulsionibus diris atq; vomitionibus excruciatus totam excit familiam. Adsunt lipothymiæ, livor faciei, & qvicqvid in propinqvo mortem solet ostendere. Advocor propere, & misellum propemodum enectum adverto. Inqviro in causam subiti infortunii; utq; nuperrime lætum & ludibundum adstitisse mensæ referunt, jubeo instrumentum lætitiæ in medium afferri. Mox, qvod res erat, deprehendo. Tuba affertur lignea recens, coloribus expicta, præcipuè flavo & rubro, auripigmenti sobole, cujus illam partem, qvæ ori inseri solet, buccâ calente puellus delingendo abraserat, hinc tristia illa symptomata. Itaq; cognitâ causâ ventum mox ad emeticum blandum & pingve, hinc ad alexipharmaca & præsertim nativam crystallum; unde cessit

tan-

tandem malum, sed cadaverosus faciei pallor in tertium usq; mensem perseveravit.

XL.

Putridorum imago gustui repræsentata.

Ol. Borrichii

NObilissima Virgo Holsatica, docta illa, & in Historiis gentium, immò & Philosophicis versata, cùm ex affectibus aliis, atq; aliis, præsertim hystericis, me curam valetudinis ejus agente, convaluisset, consilium meum rogavit, ad rarum qvoddam & diuturnum à cibo aversionis genus profligandum, cui pluribus annis varia Medicorum pharmaca incassum opposuerat. Malum hoc erat; Quotiescunq; cibaria mensæ inferebantur, etiam delicatissima, ad eorundem primum aspectum in faucibus gustum eorum præsensit, non nativum illum, sed qvalis ex iisdem putrescentibus solet oboriri. Visis piscibus curiosè præparatis, qvàm, inqvit, fœtent pisces illi, qvàm rancido sapore guttur afficiunt? visis carnibus, cadaver, inqvit, carnium palato meo obversatur: Mira imaginandi ratio! putârim, in viscere ejusdem aliqvo, hypochondriis, avt fortassis ipso utero abscessum delitescere, ex qvo fœtor ille in corpus reliqvum spargitur, inprimis avtem in fauces, qvòd illis operosissimè utatur, ut est perpetuò facunda, eoq; vasa eadem habet ampliora. Cùm avtem nidores duliorum appetitum evocat, & simul ex hypochondriis assurgit fœtor, miscentur, ut credibile, hæc duo, & imaginem putridorum cibariorum animo repræsentant.

XLI. *Fe-*

XLI.

Febris petechialis per diabetem ſpurium ſoluta.
Ol. Borrichii.

ANni hi hactenus ut bellorum, ita febrium malignarum fœcundiſſimi, variè curam Medentium diſtrinxere. Deſiere pleræq; per ſudorum criſes, nonnullæ per diarrhoeas ſupervenientes qvievere; una in juvene XXII annorum, contumax, maculis ſubrubris comitata, & in deliqvia ſubinde exiens, nec ſudoribus paruit, nec aliis fomentis, donec tandem à veſicatoriis ſtimulati humores viam ſibi fecere per urinas, qvas æger die XI profudit adeo copioſas, ut verum diabetem formidarem. Et hæc ipſa profuſio ipſi ſalutaris fuit. Non eſt tamen tam fida alioqvin criſis hæc, qvam illa altera per ſudores: qvippe notati mihi plures in febribus malignis, qvibus, negatis ſudoribus, fluxere effuſè urinæ, ſine optato eventu, qvòd peſtilens illud in malignis fermentum ſæpe adhæreſcat tenaciùs ſangvini ipſi, & lentis in eo humoribus, qvàm ut patiatur ſe in vias lotii amandari.

XLII.

Diabetes dyſenteriæ Comes.
Ol. Borrichii.

DIabeten hìc voco, non ex ἀκριβείᾳ Medentûm, ſed inſvetã & copioſiſſimam urinæ per aliqvot dies profuſionem, ſine ullâ manifeſtâ cavſſâ ægro ſupervenientem. Hanc raro exemplo paſſus eſt jam ante biennium facundiſſimus qvidam Eccleſiaſtes ſimul cum infelici dyſenteriâ, & levibus deliriis, nullo alioqvin vel caloris inſoliti, vel pulſus febrilis indicio. Mira συνδρομὴ, cùm ratio ſponderet,

deret, fore, ut translata ad vias urinæ, qvæ intestina divexabat, materiâ, cessaret alvi profluvium, vel è contrario, nihil horum contigit. Duravit cœptâ violentiâ utrumq; malum in decimum qvartum usq; diem, admonentibus identidem deliriis, sed mitibus, & tandem longiori vitâ dignum fatali metæ adstituit. Nec omissa, qvæ omnibus scopis servirent pharmaca, sed plusqvam gemina hîc adfuit hydra, cui conficiendæ vix ullus Hercules par fuisset. Scilicet acrimonia humorum in hoc corpore tanta erat, & tam pertinax, ut simul & pungendis cerebri membranis, & renum pelvi, & deniq; intestinorum ductibus plusqvam sufficeret.

XLIII.

Dysenteriæ raris symptomatibus infestæ.

Ol. Borrichii.

UT singuli homines suos patiuntur manes, ita singulæ propemodum morborum species, qvoties populariter affligunt, novi generis irritamento ægros adoriuntur. Hoc anno dysenteriis passim se adjunxere dolores acerrimi circa regionem cordis, oppressiones pectoris, interceptiones anhelitûs, adeo ut ægris nonnullis à suffocatione metus esset; accessit ea in faucibus lentæ pituitæ copia, per aliqvot dies recurrens, ut gargarismorum opem frequentem non secus reqvireret, ac febres malignæ in fauces humorem noxium effundentes. Quibus non raro se aggregavit lumbricorum copia, atq; pertinax ægrorum à pharmacis abstinentia, & solius cerevisiæ frigidæ amor, qvod utrumq; ultimum non paucis funestum fuit. Tandem trahente se in longum morbo, circa vigesimum primum diem

obortæ qvibusdam vomitiones sangvinis, & illæ modicæ qvidem, sed plerisq; ægrorum lethales, utcunq; jam per plures dies non sangvis ampliùs, sed cum excrementis ichor tantùm subinde per posticum excluderetur. In curâ, post rhabarbari usum, etiam freqventiorem aliqvando, profuit maximè tinctura Martis adstringens, sed curiosè elaborata. Pulveres adstringentes, decocta adstringentia, qvæ solenniter huic malo destinata sunt, parum, immò propemodum nihil hoc anno adstringere visa sunt. Sed &, malo tandem evicto, tenesmi solito pertinaciores aliqvandiu cruciavere. Cuidam Equitum Magistro dysenterico, meæ curæ subjecto, hoc peculiare, qvòd indubitanter prædiceret, qvoties excrementa sua prodituræ essent cruenta, qvoties sanis similia: qvoties enim sentiebat in urethrâ & testiculis dolores lancinantes, certum erat exituri sangvinis indicium, qvoties in ventre & intestinis vagabantur dolores, nil tale observatum.

XLIV.

Crurum ulcera contagiosa.

Ol. Borrichii.

NOn est qvidem illud contagium adeo virulentum, ut spargatur ad plures, sed ad eos, qvi in eodem lecto decumbunt, tandem proserpit, nisi maturè obviam eatur. Designantur autem hìc potissimùm ulcera cacoëthe, non fugacia, avt levia. Id cùm pluribus ostendi posset exemplis, unico hìc acqviescemus, sed clarissimo. Vir meritis illustris, sed scelotyrbe per intervalla divexatus duxerat puellam septendecim annorum, sanissimam, pulcherrimam; qvæ sensim, licet mater liberorum aliquot, evitare non potuit, qvin è contubernio mariti omnia ferè cor-

corporis ejus vitia in se qvoq; derivaret, illo tamen nullum ex eo solatium inveniente. Laborabat asthmate maritus, correpta est eodem malo uxor; madebat nocturnis sudoribus maritus ultra modum aliis familiarem, madebat & illa, qvamvis initio conjugii siccior; distendebantur pedes mariti humore scorbutico, nullum fere commodum afferentibus sub utroq; genu cavteriis, similia passa est conjux. Tandem exulcerantur crura mariti ulceribus variè serpentibus, & licet subinde curâ periti chirurgi cöirent, recrudescunt ferociùs, idem pedetentim contigit uxori. Nec tantum potuit vel Medicorum diligentia, vel chirurgorum assidua sedulitas, qvin utriq; idem malum fuerit mortiferum. Non indignum est, qvod hîc memoretur celebris Itali tentamentum adversus ulcera illa funesta. Viderat parum profici pharmacis vulgaribus, eoq; ad insolita conversus magnam in ægro spem sanitatis pristinæ excitaverat. Jubebat qvotidie afferri ex ædibus artificis, qvi avrum in bracteas extenuat, tunicas allantoideas plures, namq; his inter avri foliola extensis, convenientiùs, & planiùs tundendo ultimam manum recipiunt lamellulæ; has membranulas sollicitè tumentibus & exulceratis admovebat cruribus, in hanc ingressus opinionem, fore, ut ab avri contactu vires novas mutuarentur, & propriâ subtilitate poros exsudantium ichorum occluderent. Sed nihil his profectum. Tandem ingessit se chirurgus Batavus, qvi omnia brevi salva fore pollicitus, toto trimestri ita ptisanâ qvadam medicatâ virum optimum exercuit, ut qvotidie vel duodecies ad sellas discederet Patroclianas. Miram ægri patientiam! jubebat tum chirurgus crura fasciis strictè involvi, nè humores de novo illuc decumberent, atq; ita ægrum jam visum sibi saniorem, qvasi re bene gestâ, dimisit, nec diætâ ficciori

imperatâ, nec pharmacis roborantibus commendatis. Quid fit? nè unum qvidem mensem durabat imaginaria hæc sanitas, anteqvam ex adstrictis fasciâ cruribus humores noxii in artus omnes penetrarent, atq; adeo intolerabilem accerserent arthritin, cui demum, grave malum, calculus se associavit, & urinæ interceptio, qvibus novissimè, frustra in adversum nitentibus Medicis, vir longiore vitâ dignissimus succubuit.

XLV.

Novi generis fenestræ.

Ol. Borrichii.

SEd qvia de allantoide tunicâ superiùs qviddam attigimus, non ab re fuerit, Islandorum hîc fenestras vel verbo nominâsse. Sunt avtem illæ, præsertim egentiorum, ex tunicis allantoideis vaccarum confectæ, & ita translucidæ, ut vitrum vulgatius provocent. Missæ mihi ex illâ Insulâ id genus fenestræ, de solertiâ gentis testantes. Subiit perpendere, ex qvo fibrarum genere constet subtilissima illa tunica, tandemq; conclusum, ex nullo: qvòd videamus humores aqueos nonnihil interqviescentes, in qvovis ferè loco cöire supernâ facie in membranulam simul, non exspectatâ priùs fibrarum distributione. Simile qviddam videre mihi contigit in portu *M*assiliensi mediâ æstate. Ibi cùm sinus ille maris à fluctibus liberrimus esset, & superficies aqvæ qvieta, induit tunicam viridem, sed tenuissimam, & oppidò tamen firmam; dixisses tunicam allantoideam; nisi amplitudo & viror obstitissent. Qvoties alicubi tollebatur pellicula hæc, intra triduum aqva iterum simili veste tegebatur. De cavsâ alii disputent.

XLVI.

Mirum, sed nunqvam fallens ægræ somnium.
Ol. Borrichii.

FÆmina nobilis, jam ab aliqvot annis valetudinem minùs firmam experta, sæpe arthritica, semper κακοσόμαχ☉, aliqvando calculosa, in qvæ incommoda incidit ex non interrupto ab mortem filiæ unicæ, luctu, qvamqvam plurium Medicorum pareat consiliis, familiariùs tamen meo, qvoties grave incidit symptoma, utitur ministerio. Hæc sine omni hæsitatione præsagit venturum proximo biduo morbum, qvòd trienni jam experimento constantissimè edocta sit, qvoties de me somniat, instare sibi adversam valetudinem, licet sana ad dormiendum se se componat. Credibile, oberrare in corpore ejus semina mali, anteqvam se plenè colligant, atq; ab istis vagabundis motiunculis membranas cerebri inter dormiendum leviter pungi, & ab his vellicationibus redire memoriam eorum, qvæ solenniter geruntur, qvoties punctiones ejusmodi crebriùs infestant, hoc est, discurrendum ad sollicitandam Medici familiaris operam. Hinc qvoties eam inviso, primò omnium percunctari soleo, utrum inter somniandum me viderit vel lætum qvicqvam, vel triste agentem: si neget, jam securus sum proximo ad minimum biduo de mali induciis.

XLVII.

De odoribus singularia.
Ol. Borrichii.

MIra jam pridem mihi visa sunt, qvæ Clariss. Medicus *Marcus Marci* in Philos. Vet. restit. tradit de

odoro Pragensi: *Ante paucos annos*, inqvit, *hic Pragæ fuit religiosus, qvi singulos, & qvæ ad eos spectabant, solo olfactu dignoscebat, qvin etiam mulieres impudicas, & qvæ plurium consortio essent usæ, confestim internoscebat. Et qvia Philosophiæ non imperitus, novam scientiam odorabilium, opticæ, atq; acusticæ æmulam moliri cœpit, innumeras qvalitates odorabiles nobis ignotas, qvibus ipse nomina imponebat, ad certas classes revocando. Verum hos conatus mors intempestiva abrupit.* Dignus sanè longiori vitâ fuisset, aperuisset enim plura, propter organi odoratorii subtilitatem, qvæ fortassis vix integro seculo frustillatim manifestabuntur. Subiit animum memoria hujus relationis, cùm ante annos pluros in illustris cujusdam Herois familiâ vivens simiæ cujusdam mores inspicerem, de qvâ jam alibi. Sed qvid impedit hic enarrare, qvomodo periculosa eqvi lassitudo odoribus abacta sit. Junxeramus societatem XXXII viatores, in qvibus erat Comes Diedrichstain, Comes Donaw, Baro Sielowschi, Baro Hornstein, alii, ut eò securiùs iter Româ Neapolin conficeremus, qvòd viæ passim à sicariis & latronibus obsiderentur. Itaq; die tertio itineris, cùm unius ex comitatu eqvus (fuimus enim omnes eqvites) oppidò lassus nè calcaribus qvidem incitari posset, adeoq; trepidaret insessor, qvòd, si solus relinqveretur, pereundum sibi manifestò videret, ex improviso novam alacritatem caballo suo addi notabat; miratus subitam mutationem miraculo vicina se observare clamabat, enimvero tot horis defatigatum eqvum suum, nullo pabulo, nullâ qviete recreatum jam pristinas vires recepisse, portento simile esse. Duravit illa alacritas horam circiter unam, & cùm per angustias montis cujusdam eluctaremur, subitò iterum elanguit, sed invaluit pavllò post, cùm certum qvendam eqvum ponè seqveretur,

retur, qvo recedente nova lassitudo, novus moeror obortus. Effecit ergo precibus, ut liceret sibi illum eqvum suo caballo perpetuò comitari, atq; ita nobiscum salvus in diversorium evasit. Scrutati cavsam advertimus tandem, non eqvum fuisse, sed eqvam, cujus odore langvidus eqvus vires resumpsit, & totis qvatuor horis infatigabili fervore continuavit.

XLVIII.

Alia de odoribus.

Ol. Borrichii.

QVi *Smyrnâ*, avt Aleppo qvotannis Babylonem eunt, itinere arenoso, & difficili, referunt assvetos vel ad XXX milliaria odorari, etiam nocturno tempore, quo loco sint, & qvantum ab urbe desideratâ distent, etenim eosdem prosternere se humi, & rapto harenæ obviæ manipulo nares consulere, moxq; de distantiâ ab oppidò securè definire. Fortassis tamen herbulæ, avt radices odoriferæ harenis permistæ locum relinqvunt præsagio. Ex odore ægri etiam nondum visi, sed vicini tantùm, sæpe statum ejus valetudinis cognoscimus; & sanè, qvoties in ægri cubiculo fœtor cadaverosus naribus meis obversatur, etsi nondum gravissimè decumbat, soleo tristia ominari, neq; temere decipior. Ratio in promptu est: ea ipsa effluvia, qvæ à cadavere copiosiùs exhalant, parciùs, sed intelligenter tamen ab eo corpore solent emanare, cujus viscera jam corrupta prope absunt à cadavere. Sed in hoc negotio canibus nonnullis major sagacitas, qvàm hominibus. Sæpe mihi Ripis viventi visus est canis civis cujusdam *Georgii Harboe*, minutus ille, & castaneæ colore, qvi toto septennio,

nio, qvo ibi commoratus sum, nunqvam, qvantum explorare mihi licuit, falsus fuit in denunciandâ latratu nocturno ægrorum morte. Quotiescunq; enim fenestris ægrotantium, iterum, iterumq; ejulans assidebat, qvacunq; demum Urbis plateâ, intra lapsum unius hebdomadis in iis ædibus funus deprehensum; utcunq; ad primum canis nocturni adventum sæpe satis leviter ægri viderentur laborare. Scio futuros, qvi illa præsagia in ostentationem spectrorum rejiciant, sed cùm bonos genios ita percursare vicos nusqvam certò doceamur, & constet malos à domino suo, id qvod ipse ignorat, havrire non posse, malim credere sagacitatem canum qvorundam, (qvam in venatico genere experimur admirabilem) ex funebri ægrorum odore in ejusmodi ululatus sev qverulos latratus incidere. Certè *Borellius* in Centur. refert qvendam rabidi canis morsu afflictum olfactu percipere potuisse amicos è longinqvo, etiam nondum in conspectum prodeuntes.

XLIX.

Ex aspectu pharmaci cathartici liberalis purgatio.

Ol. Borrichii.

QVantum imaginationi in humores corporis imperium sit, ut ex *Th. Fieno*, & aliis passim experimentis liqvidum evadit, ita eo, qvod subjicitur, exemplo confirmabitur. Primarius qvidam civis Hafniensis ex febre tertianâ convaluerat, &, domito jam morbo, corpus solenni cathartico expiârat, jamq; sibi plenè restitutus rogabat, ut uxorem qvoq; leni purgante tentarem. Pareo, & pilulas duntaxat qvinq; propino. Dum illa delicatula in degluticndo tricatur, maritus, nisi, inqvit, subitò havseris,

qvod

qvod apponitur, jam mihi qvoq; navſeam commovebis; abhorrebat enim maritus à pilulis, ſorbitioni addictior. Dictum, factum, vorat illa hamum, & maritus, qvi havſerat nihil, ante uxorem ſtrenuè purgatur, nec ternis dejectionibus, iisq; luculentis contentus provocâſſe uxorem, etiam gemina vomitione ſtomachum evacuat, hac parte uxore ſuperior, ut qvæ nihil per os rejecerit.

L.

Alia imaginantium exempla.
Ol. Borrichii.

ILluſtriſſimus qvidam belli Dux febri continuâ afflictus meam expoſcit operam. Venio, & qvæ ſalutaria viſa ſunt, per aliqvot dies præſcribo, cùm veſpertinâ qvadam nonâ ſubitò evocor in avxiliũ, identidẽ occentante famulo, Dominum ſuum in extremis eſſe, havſiſſe per imprudentiam venenum, jamq; ſudore frigido perfundi. Miratus inexſpectatam mutationem advolo, invenio ægrum propemodum deſperabundum, pulſum turbatum, omnia confuſionis plena, famulum qvi venenum obtuliſſe credebatur, fugâ elapſum. Sciſcitatus cavſam avdio famulum ſimilitudine vitrorum pharmacevticorum deceptum, non conſultâ priùs inſcriptione, Domino ſuo gargariſmum ebibendum porrexiſſe, cùm debuiſſet offerre analepticum. Hîc ego, peccatum, inqvam, hoc eſt, ſed non adeo grave, qvippe gargariſmum illum nihil ingreditur, qvod vitæ inſidiari poſſit, utcunq; ejus ſimul havriatur integra libra. Tum verò experrectior Illuſtriſſimus, At ego, reſpondit, freqventer avdivi gargariſmos ſolis favcibus conſulere, ſtomacho avtem & inteſtinis eſſe inimiciſſimos, id qvod & jam expertus ſum, ita horam pæne inte-

gram affligor, & vertigine funestâ circumagor. Ego placidè, nil, inqvam, in Daniâ gargarismis permiscetur, qvod havstum graviter nocere possit,& simul ad pharmaca roborantia conversus propino ægrotanti liberalem havstum. Unde mox alacrior deposuit de veneno opinionem, & noctem qvietè transegit, inq; pavcis diebus sibi restitutus est. Sed ad experimentum aliud. Uxor *Christiani Nærgeri* statuarii tertianâ contumaci excruciata recipit,meo jussu,vitra duo,alterum sudori eliciendo, paulo ante paroxysmum,alterum corrigendis stomachi cruditatibus destinatum,ex absinthio,centavrio min. gentianâ, aliis. Imminente avtem jam paroxysmo, per errorem totum illud vitrum exhavrit,qvo stomachicum extractum in plures hebdomadas suffecturum continebatur, & ad sudandum se componit. Intervenit frater ægræ,studiosus, & intellecto,ex inscriptione,errore, non, inqvit, soror, sudandi tempus jam est, sed de extremis cogitandi, havsisti enim illud unâ vice, qvod in dierum viginti usum præscriptum est. Illa anxia in sudores frigidos declinare, circumspicere sacerdotem,&,si adhuc locus esset auxilio, opem meam ardentissime implorare. Advenio,& ægram jubeo habere bonam mentem; nihil esse, qvòd mortem formidet, paratum me esse, ut in ejus gratiam tantundem exhavriam. Illa præter spem suam in novam vitæ spem erecta in pavcis diebus perfectè convaluit, nullumq; amplius experta est paroxysmum, formidine mortis, havd dubiè, ita effervescentiam humorum febrilium turbante, ut in statum morbosum nescierint reverti. Tolerabilia hæc in ægris medicam artem ignorantibus, sed & Medico *D. D. Oldenburgio* similia ante biennium contigere. Is, ut erat castrensis Medicus, & artis suæ alioqvin oppidò peritus,sed imaginationum intervallis obnoxius, & in hario-

riolandis imminentibus suo corpori ægritudinibus pro-
lixè anxius, postqvam diebus aliqvot Helsingoræ decubu-
isset ex suspicione febris malignæ, qvòd existimaret tra-
xisse se miasma à præfectis aliqvot militaribus, qvibus in
petechiali febre medicinam nuper fecerat, Hafniã se jus-
sit transportari consilio meo usurus. *Ego* cùm toto tri-
duo nihil vel febrile, vel malignum in pulsu, urinisq; de-
prehendissem, qvin, inquam, Amice, ad alia convertimur.
febris eqvidem suspicio evanuit, sed noto corpus tuum
pravis stagnare humoribus, ex diætæ & aqvarum vitio, in
obsidione Christianostadiensi contractis. Annuit ille, &,
me svasore, lene bibit purgans, qvod lienis, avt certè acidi
putrescentis circa lienem fæces exturbaret. Postridie adsũ
iterũ, & Oldenburgium meũ propemodum desperabundũ
invenio. Et qvid, inqvam, turbarum? ille, decepit te, re-
spondit, stochasmus tuus, ego enim jam mortem imminere
sentio, qvòd in medio febris ardentis, & malignæ æstu ca-
tharticum assumpserim, unde jam totus exundo petechi-
is, iisq; præ malignitate liventibus, simulq; femora & crura
ostendit maculis scorbuticis distincta. Tum ego, avt, in-
qvam, me fallunt omnia, avt hæ non sunt febriles pete-
chiæ. Consulo pulsum, urinam, contrecto frontem, nul-
lum usqvam febris indicium. Ille diu reluctatur, & in fe-
brim lipyriam se incidisse credit; cumq; nec pulsus id sva-
deret, nec arderent interiora corporis, tandem, licet satis
ægrè, expugno pertinaciam tristia sibi ominantis, & anti-
scorbuticis insistendum moneo, qvibus ad breve tempus
usurpatis cessavere maculæ, & Medicus sibi restitutus sanus
in Scaniam ad exercitum rediit. Avdio tamen ipsum hoc
anno Helsingoræ obiisse, sive recurrerit similis imaginati-
onis constantia, sive seriò rem gesserit Morbona. Con-
tumacior, funestiorq; observata est imaginatio in clarissi-

gram affligor, & vertigine funestâ circumagor. Ego placidè, nil, inqvam, in Daniâ gargarismis permiscetur, qvod havstum graviter nocere possit, & simul ad pharmaca roborantia conversus propino ægrotanti liberalem havstum. Unde mox alacrior deposuit de veneno opinionem, & noctem qvietè transegit, inq; pavcis diebus sibi restitutus est. Sed ad experimentum aliud. Uxor *Christiani Nærgeri* statuarii tertianâ contumaci excruciata recipit, meo jussu, vitra duo, alterum sudori eliciendo, paulo ante paroxysmum, alterum corrigendis stomachi cruditatibus destinatum, ex absinthio, centavrio min. gentianâ, aliis. Imminente avtem jam paroxysmo, per errorem totum illud vitrum exhavrit, qvo stomachicum extractum in plures hebdomadas suffecturum continebatur, & ad sudandum se componit. Intervenit frater ægræ, studiosus, & intellecto, ex inscriptione, errore, non, inqvit, soror, sudandi tempus jam est, sed de extremis cogitandi, havsisti enim illud unâ vice, qvod in dierum viginti usum præscriptum est. Illa anxia in sudores frigidos declinare, circumspicere sacerdotem, &, si adhuc locus esset auxilio, opem meam ardentissime implorare. Advenio, & ægram jubeo habere bonam mentem; nihil esse, qvòd mortem formidet, paratum me esse, ut in ejus gratiam tantundem exhavriam. Illa præter spem suam in novam vitæ spem erecta in pavcis diebus perfectè convaluit, nullumq; amplius experta est paroxysmum, formidine mortis, havd dubiè, ita effervescentiam humorum febrilium turbante, ut in statum morbosum nescierint reverti. Tolerabilia hæc in ægris medicam artem ignorantibus, sed & Medico *D. D. Oldenburgio* similia ante biennium contigere. Is, ut erat castrensis Medicus, & artis suæ alioqvin oppidò peritus, sed imaginationum intervallis obnoxius, & in hario-

rio-

riolandis imminentibus ſuo corpori ægritudinibus prolixè anxius, poſtqvam diebus aliqvot Helſingoræ decubuiſſet ex ſuſpicione febris malignæ, qvòd exiſtimaret traxiſſe ſe miaſma à præfectis aliqvot militaribus, qvibus in petechiali febre medicinam nuper fecerat, Hafniā ſe juſſit transportari conſilio meo uſurus. *Ego* cùm toto triduo nihil vel febrile, vel malignum in pulſu, urinisq; deprehendiſſem, qvin, inquam, Amice, ad alia convertimur. febris eqvidem ſuſpicio evanuit, ſed noto corpus tuum pravis ſtagnare humoribus, ex diætæ & aqvarum vitio, in obſidione Chriſtianoſtadienſi contractis. Annuit ille, &, me ſvalore, lene bibit purgans, qvod lienis, avt certè acidi putreſcentis circa lienem fæces exturbaret. Poſtridie adſū iterū, & Oldenburgium meū propemodum deſperabundū invenio. Et qvid, inqvam, turbarum? ille, decepit te, reſpondit, ſtochaſmus tuus, ego enim jam mortem imminere ſentio, qvòd in medio febris ardentis, & malignæ æſtu catharticum aſſumpſerim, unde jam totus exundo petechiis, iisq; præ malignitate liventibus, ſimulq; femora & crura oſtendit maculis ſcorbuticis diſtincta. Tum ego, avt, inqvam, me fallunt omnia, avt hæ non ſunt febriles petechiæ. Conſulo pulſum, urinam, contrecto frontem, nullum uſqvam febris indicium. Ille diu reluctatur, & in febrim lipyriam ſe incidiſſe credit; cumq; nec pulſus id ſvaderet, nec arderent interiora corporis, tandem, licet ſatis ægrè, expugno pertinaciam triſtia ſibi ominantis, & antiſcorbuticis inſiſtendum moneo, qvibus ad breve tempus uſurpatis ceſſavere maculæ, & Medicus ſibi reſtitutus ſanus in Scaniam ad exercitum rediit. Avdio tamen ipſum hoc anno Helſingoræ obiiſſe, ſive recurrerit ſimilis imaginationis conſtantia, ſive ſeriò rem geſſerit Morbona. Contumacior, funeſtiorq; obſervata eſt imaginatio in clariſſimo

mo qvodam Duce militari, qvi nescio qvo infortunio persvasissimus erat se gratiâ Regis excidisse, in conservandis præsidiariis sibi commissis negligentiùs egisse, eoq; jam ad tribunal citari, ut capite lueret socordiam. Quæ licet sola animi tristia secum agitantis inqvietudo dictaret, (nec enim ullius criminis reus deprehensus est) duravit tamen in pertinaci illâ credulitate adeo obstinatâ mente, ut nec sacris, nec politicis, nec Medicis rationibus contraria docentibus pareret, immò nec præsenti aliqvando indulgentissimæ Reginæ, & prolixè Regiam gratiam offerenti crederet; multo minùs Medicis, qvi duo simul advocati eramus, nostra enim pharmaca, totidem toxica interpretabatur, & in alimentis aspidum virus recondi præ se ferebat, donec tandem ex longâ & precibus omnium invictâ marcidus inediâ, pestiferæ imaginationi immortuus est.

LI.

Mirus oculi, & digiti annularis consensus.

Ol. Borrichii.

Consensum cordis cum annulari digito sinistro jam olim prædicavere Ægyptii, de qvo *Gellius* & *Macrobius* disertè, & post eos *Dn. de la Chambre*, qvam nunc controversiam in medio relinqvimus, certi de Consensu ejusdem cum oculo, id qvod seqvens historia planum faciet. *Anna Maria*, ministri Evangelii in oppidulo Store Heddinge filia sex annorum, digitum annularem sinistrum mihi ostendit male multatum, tumentemq;, qvem dum etiam ulceratum adverto, proseqvor inqvisitionem, & tandem *spinâ ventosâ*, qvam vocant, miserè vexatum con-

conſpicor, & os ſubjectum magnam partem cariè exeſum. Adjiciebat ſollicita mater, digitum illum non ſemper dolere, ſed per intervalla; enimvero qvotiescunq; oculus ejusdem lateris rubore & dolore affligeretur, nullum in digito ſentiri dolorem, ſed, qvieſcente oculi malo, digiti dolores eſſe exqviſitiſſimos, qvod & ipſum plorans puellula teſtabatur; & cùm ſæpe pòſt ad me ventitaret, dum *M.* Philippi Hacqvardi curæ ſubjecta erat, re ipſâ notabam. Commendatum puellæ in brachio cauterium, lavdata, qvæ in hanc rem Marchettus in Chirurgicis ſpinæ ventoſæ opponit, expiatum corpus, cætera chirurgo induſtrio permiſſa, qvibus qvantum profecerit non conſtat, cùm domum jam diu conceſſerit.

LII.

Ex vivo argento carpis applicato mors.

Ol. Borrichii.

EST argentum vivum eqvo indomito ſimile, qvoties in manus imperitas incidit. Id apud nos non ita pridem expertus eſt Vir qvidam illuſtris, cùm ex febre ardentiſſimâ, & ſimul malignâ decumberet. Enimvero, licet non deeſſent Medici, ſpe celerioris felicitatis, neſcio cujus ſvaſu, paſſus eſt agyrtam ſuas artes expromere, Medicis ſcilicet ignotas. Hic mirificus ille Roſcius, poſtqvam de ſuis experimentis magnificè peroràſſet, replet duos pulvinos linteos argento vivo currente, & pulſibus utriusq; carpi ſecurè alligat, addito promiſſo, fore & brevi calor ille febrilis exſtingveretur. Et vera præſagiit, ſed exſtinctus præternaturalis calor nativum etiam totius corporis calorem, ante exactas XXIV horas improviſo exſtinxit, & æ-

grum in Libitinæ rationes transcripsit. Aliud exemplum hoc anno mihi spectatum usurpati infeliciter Mercurii. Honestissimus in Urbe nostrâ mercator arthritide, & genuum debilitate diu cruciatus, promissis chirurgi navtici inductus, tandem in ptyelismo spem sanitatis reponit, havritq; doses aliqvos liberales Mercurii vitæ, unde ἄνω & κάτω violentissimè purgatus, simulq; ad sputandum impulsus omnibus viribus suis exsuitur, totusq; rigens, & qvavis glacie frigidior opem meam implorat. Ego adulto julio, cùm Sirius ustularet agros, ingressus ægri cubiculum, observo non tantùm luculentum in camino ignem, sed simul manus ægri qvasi conglaciatas, pulsum nullum, asthma difficile, solam rationem sibi constantem: edoctus avtem de chirurgi medicaminibus, vidensq; rem in extremis esse, prognostico ægrotantem reliqvi, qvi & eadem nocte in vivis esse desiit, magnâ utiq; chirurgi ignominiâ, nisi moribus hodiernis etiam conveniret illud *Hippocratis*: Ἀδοξίη δὲ οὐ πτερώσκει τοὺς ἐξ αὐτῆς συγκειμένους. Sed qvia sermonem de Mercurio ingressus sum, reperio in climate nostro non sufficere iis, qvi lue Venereâ luunt stultitiam suam, ptyelismum ex Mercurio ad tres hebdomadas, & postea ad alias tres decoctum lignorum, sed si malum inveteravit, reqviri ptyelismum jam ad sex, jam ad octo integras hebdomadas, immò in qvibusdam vel ad decem ante decoctorum usum, qvòd nisi observet Chiron, indubitabilem ante lapsum sex mensium instare recidivam.

LIII.

Anginarum & calculi symptomata rarum,
D. Olai Borrichii.

NOn alienum est, in febribus malignis, diebus præ-

fer-

ſertim Criticis,aliena loqvi; ſed notavi idem in ſimplicibus anginis,nullâ febris ſuſpicione,qvandoq; contingere, qvoties malum eſt pavllo vehementiùs, & materia peccans jam in pus reſoluta ſangvini ſe miſcet, unde nervoſæ cerebri partes ultra ſolitum vellicatæ notiones confundunt. Sed cùm malum hîc uſq; adeo vicinum ſit ſenſuum metropoli, cavſſam ſymptomatis aſſeqvimur faciliùs, in calculo avtem renum officina mali à cerebro longè remota tumultuatur. Vidi nihilominus, qvi calculo graviùs infeſtante non conſtarent ſibi, nec niſi delira loqverentur, ſed momento pòſt, tranſlato in veſicam hoſte, dictorum ejuſmodi eſſent obliti, & tum corpore,tum mente validi. Tandem excluſo calculo animadverti cavſam mentis emotæ in acutiſſimos lapidis angulos rejiciendam eſſe; qvippe nulla unqvam deliria, in iis deprehenſa mihi calculoſis, qvibus calculi rotundi, avt obtuſioribus angulis moleſti fuere, ſed tantùm (nec tamen ſemper, propter mentis majorem in qvibusdam conſtantiam) in iſtis. Scilicet pelvis renum veſtitur tunicâ νευρώδη,qvæ & ipſa interiorem ureterum membranam conſtituit,hæc punctiunculis acrioribus ſollicitata contrahit ſe violentiùs, & tandem nervoſa cerebri in conſenſum rapit, unde noëmata qvandoq; turbari credibile. Quin & viſus mihi Pariſiis à la Greve, qvi rotis fractus, pectore nondum contuſo aliena loqvebatur. Juſſus enim ab aſtante monacho, ut pendentis in cruce Salvatoris, qvem oculis ejus identidem objiciebat,memor eſſet, qvòd in propinqvo mors exſpectaret; An ergo, inqvit, ſavcius ſum, ſi tam ſubitò moriendum;annuente ſacrifico graviter ſavcium eſſe, Cur ergo,excepit, in noſocomium non deportor, ut manu Chirurgi ſanari qveam. Veriſimile, oſſium in cruribus femoribus,brachiis fragmenta acutiora, totidem cuſpides fuiſ-
ſe,

ſe, quot in calculoſis illis exqviſitiores anguli, adeoq; in utrisq; eadem ſecuta qvandoq; ſymptomata. Nec fortaſſe in ſomnis aliena loqvuntur nonnulli ob aliam cauſam, qvàm qvod vel in partibus ſolidis, vel fluidis cuſpidatæ qvædam particulæ nervoſa pungendo qvietem ſpirituum interturbent. Sed nec illud fortaſſis ubivis obvium, qvòd verminoſi pueri qvandoq; aliena loqvantur. Id mihi præ cæteris compertum in *H. Brechlinii* filio ſex annorum, qvi poſtqvam miſerabile triduum inter convulſiones & deliria exegiſſet, nullo febris argumento, propinatis liberaliter, qvæ vermes exigunt, novendecim tandem excrevit lumbricos vivos longos, craſſos, & propemodum ſpithamæos, qvibus excluſis præter ſpem Parentum convaluit.

LIV.

Cur tertianæ hoc anno freqventiſſimè in qvartanas exeant.

Ol. Borrichii.

VIx integro ſeculo tot in his Provinciis numeratæ ſunt qvartanæ, qvot unico hoc avtumno pullulârunt. Nec initio viſæ ſunt qvartanæ, ſed tertianæ vagæ, qvæ ſenſim in duplices, immò triplices qvartanas degeneravere, niſi manus Medica initio admoveretur. Nec difficulter paruere pharmacis, ſed ſibi relictæ, vel negligentiùs habitæ ferociter inſultârunt. Parciùs tamen incubuere Urbi noſtræ, qvàm agris, inſulisq;, ob diætæ, ut opinor, vitia; cives enim qvòd familiare tum dyſenteriam malignam formidarent, abſtinuere à fructibus horariis, leguminibus, aliis, qvæ vicinis ſuis morbum invexiſſe avdiebant; cæterùm agre.

agreſtes,& minutiorũ oppidorũ incolæ,nullo metu,oblatis paſcebantur. Hinc integræ familiæ, toti propemodum pagi,im mò qvandoq; tertia pars oppidanorũ,qvaſi fulmine icta lectis affixa eſt. Nec omnium tamen febres in qvartanas abiere, ſed eorum, qvi neglexere curam omnem corporum,ſimiles Virgiliano illi Georg. III.

—— —— alitur vitium, vivitq; tegendo,
Dum medicas adhibere manus ad vulnera paſtor
Abnegat,& meliora Deos ſedet omnia poſcens,

vel eandem initio perverſam inſtituerunt. Cauſam avtem,cur ad tam freqventes ventum qvartanas, hanc puto: extremum æſtatis præter morem, modumq; apud nos incaluit, unde inteſtinus corporũ calor ab externo evocatus eſt foras, qvo facto reliqvi humores tanqvam in vappam ſubacidam degeneraverunt, promptam qvartanæ genitricem. Explicatiùs loqvar; videntur humores corporum id paſſi, qvòd cereviſia in cellis,tonante coelo, aceſcit pavllò poſt, mucet, corrumpitur; qvòd vividiores ejus partes fulmineum illud ſulphur,omnia pervadens ſecum in äera tranſtulerit,avt,ſi mavis,confuderit,& in aliud ſchema perverterit.

LV.

Singulare ſymptoma à veratro albo productum.

Ol. Borrichii.

QVando Divinus noſter *Cous* pronunciat σπασμὸν ἐξ ἐλλεβόρου θανάσιμον, non id vult, omnibus perinde convulſiones ejusmodi lethiferas eſſe, qvemadmodum ſagaciores interpretes odorati ſunt,ſed periculoſas, eoq; Medico formidandas. Certum enim eſt, nec id Hippocrati ignorari potuit,poſt triſtia ejusmodi ſymptomata plures,

licet ægrè, Libitinam evadere. Quin nec omnia symptomata à veratro albo, utcunq; funestiora esse soleant (nam Hippocrati nigrum fuit familiarius) mortem invehunt, sed aliqvando subitam salutem, qvam tamen ita periculosè mercari non svaserim. Solet vulgus veratri albi, radicem cum cinere culinario, & momento aluminis, atq; Zingiberis permiscere, atq; misturæ hujus (*Pharamundo Rhumelio*, ut video, etiam laudatæ) drachmam febricitanti ingerere, unde præter cætera, qvæ ob usu veratri nimio proficisci solent symptomata, notavi miram oculorum convulsionem succedere, namq; invertuntur planè oculi, & pars, qvâ videmus, retro fugit, bulbusq; duntaxat albus inspicientibus apparet. Durat illa cœcitas horam circiter unam, & tandem rejecto per crebras vomitiones helleboro, discutitur, febris cedit, & sanitas exspectata revertitur. Hoc illi vocant, duro nodo durum qværendum esse cuneum; sed nisi salva omnia sunt in pulmonibus ægri, cuneus tandem esse potest, qvi vitam ipsam è corpore tabido extrudat.

LVI.

Superfœtationum exempla.

Ol. Borrichii.

TRia superfœtationum exempla observare mihi licuit, unum Lugduni in Batavis, hîc duo; in omnibus ea fœtuum diversitas, ut duo circiter menses inter primam secundamq; conceptionem intercessisse viderentur. In ultimo, qvod nuperrimè accidit, hoc rarum, qvòd infans minor natu interfecerit majorem. Res ita gesta: Nobilis Germana, qvæ per biennium Amstelredamenses Medicos

in

in curandâ tabe pulmonibus infestâ, experta erat, hæc tandem ad maritum se transfert, & mox, ut fit, gravida inducias mali sibi spondet, ex persvasione vulgari, qvamdiu parturiunt fœminæ, nullum esse à phthisi periculum. Non cessavit tamen occultus hostis, sed intra pavcorum mensium lapsum invalescens ægram lecto affixit. Ego advocatus, expensis circumstantiis, diætam convenientem definio, lavdo decoctum carnis gallinaceæ, rosis rubentibus farctæ, ad exemplum *Foresti*; commendo radicis Chinæ decoctum diu freqventandum, qvòd usum ejus in simili affectu sæpe salutarem deprehenderim, pavcisq; pharmacis adjectis, svadeo lac asininum in qvotidianum alimentum. Illa cæterorum citò pertæsa in usu lactis asinini perstitit, eo successu ut jam habitior septimo gestationis mense in Holsatiam ad maritum Glückstadii tum degentem properaret: sed in itinere, fracto, per nescio qvem tumultum curru, exterrita ægrior mox rediit, atq; animam velut agens, & sacris expiata ultimam necessitatem exspectavit. Post aliqvot tamen dies collegit se se iterum, & meliora cœpit sperare, cùm iterum tristi mortis filii, qvanqvam falsæ denunciatione perturbata disrumpi involucra fœtus sensit, & mox lectum aqvis stagnare. Advolat obstetrix, & in tertium diem, cum malè dispositis, ut referebat, fœtûs membris luctata tandem expedivit puerperam, & primùm qvidem infantem masculum in lucem produxit septem circiter mensium, vivum qvidem, sed qvi unicâ pòst horâ exspiravit; hinc fratrem minorem, itidem, ut prior, membranis propriis involutum, sed mortuum, immo fœtentem. Putrida etiam visa involucra, & infans fratre, dimidio propemodum minor, qvi fœtore suo majorem natu infecerat, ut qui vivus qvidem prodiit, sed miserè langvidus & cadaverosus. Credibile, mino-

rem ideo primùm succubuisse, qvòd junior, eoq; imbecillior perturbationes matris ad suum qvoq; nutrimentum derivatas sustinere neqvierit.

LVII.

Suspicio de aliis Urinæ ductibus, qvàm qvi vulgò cogniti sunt.
Ol. Borrichii.

Diu est, qvòd Medici luctantur in explicandâ subitâ illâ acidularum per vesicam redditione, præsertim ex quo leges circulationis sangvinis videntur persvadere, omnem lotii materiam per cor transire, antequam ad renes perveniat. Alii quidem aliter hîc se expediunt, mihi difficultas avgeri videtur ex eo, qvod subjicitur, exemplo. Virguncula septem annorum, sana alioqvin & vivax, variolis nuper corripitur, & dum ardenter sitit, recipit subinde à sollicitâ aviâ havstum tenuis cerevisiæ, quam dum ego jubeo, ante sorbitionem, incalescere, nè maculæ retrocedant, advertit quotidie aviâ, misellam, quoties calidam bibit, mox intra horæ quadrantem, eandem totam per urinas pelvi reddere, sed frigidam adeo constanter retinere, ut totis duodecim horis nè semel quidam mejat. Id cùm pluribus diebus simili ratione accidere viderem, recruduit suspicio sæpe his annis ventilata de aliis urinæ viis. Alioqvin notus mihi amicus, qui havsto unico tantùm cochleari aqvæ vitæ, quam vocant, sive simplicis sive compositæ, intra mediæ horæ intervallum reddere urinam cogitur bis, térve, licet ante havstum nuperrimè vesicam exonerârit. Atq; ut dixeris spicula illa salis tenuissima, & ramenta acutissima olei, qvæ in aqvâ vitæ resident, subitò fingere sibi viam ad renes, ductusq; ibi aperire, nihil certius

us eſt, qvàm amicum illum, nullum interea vel teporem in renibus adavctum obſervare, ſed mox ſtimulum circa regionem veſicæ. Sed & qvodnam calcar in caldâ? qvam jam ſana qvotidie bibit virguncula, nec toto die niſi ſemel laxat veſicam, etſi juſcula interea ſorbeat longè calidiora, immò aromatis condita.

LVIII.

Ex glande melleâ vitæ periculum.

Ol. Borrichii.

TOties impune volitantes circa tempora glandes plumbeas, ferreasq; ſenſerat illuſtris *Baro Grandviller*, excubiarum in exercitu Monaſterienſi præfectus generalis, apud nos melleæ propemodum ſuccubuerat. Poſtqvam enim veſpere qvodam alvum notâſſet adſtrictiorem, per famulum Pharmacopœi juſſit glandem ex melle coctam ſibi, more ſveto, ſupponi, qvâ intra horam unam avt alteram nihil excrementorum evocante, ſecundam ſubjici imperavit, & illâ qvoq, ſegneſcente, tertiam. Nihil omnibus effectum, & nox inter turbulenta ſomnia, vigiliasq; qverulas exacta. Poſtridie accerſor, & clyſteribus inſiſtendum moneo, iisq; pingviuſculis, & carminantibus. Sed nec à clyſteribus levamen. Viſus ſibi æger, ut referebat, in inteſtinis qvaſi palo confixus. Subiit cogitare, glandes nimiùm fortaſſe coctas induruiſſe, ut ſolent, atq; altiùs in inteſtina penetrâſſe. Interea freqventatis enematis, & ingeſtâ per fauces cereviſiâ, in qvâ manna Calabrina deliqvuerat, item oleo amygd. dulcium, aliisq;, qvæ neceſſitas ſvadebat, binæ tandem glandes per poſticum viam invenerunt, ægro interea inconſolabili, qvòd nec

dolores imminuerentur, nec venter detumesceret, nec excrementi qvicqvam prodiret. Tenuit hæc lucta tertium jam diem, jamq; videbatur ultima minari, Barone frementе, inavditum sibi mortis genus à melle intentari, cùm post balneum aqvæ dulcis pingvia per os ingesta, & inunctus ungvento de arthanitâ, cui oleum diacolocynthidos permistum, ventriculus expedirent laborantem, & cum excrementis protruderent crassa enematis primi frusta, sed durissima, & vitri more fragilia. Discant hinc Pharmacevtices ministri, qvantum noxæ, & qvàm funestus eventus ex inconsultâ tam innoxii alioqvin succi cocturâ qvandoq; proficiscatur.

LIX.

Immensus scroti tumor.

Ol. Borrichii.

VIderam qvidem jam ante, laxiores corporis partes ex decubitu humorum in singularem amplitudinem extendi, notaveram renem unum infantis recens in lucem editi, vel tres urinæ libras, ex defectu ureteris ab illo latere, sinu suo comprehendisse; sed scrotum usq; ad ultimum genuum marginem descendere posse, nunqvam conspexi, nisi in *Jacobo Cirsow*, pistore Hafniensi. Is à multis annis ramicosus, cùm rejectis, qvibus malum coërcebat, fasciis negligentiùs viveret, immò in nuptiis tandem amici liberaliùs se invitaret, excrevit ex eo sensim in eam molem scrotum, ut omnia ipsius intestina complecti videretur. Mirabar, cùm staret, partem scroti etiam tantillum infra genua descendere; cùm decumberet, accumbebat molestissimus saccus, & in amplum se diffundebat. Tandem vo-

vomitio nigerrimæ & acidæ amurcæ ad aliqvot durabat dies, rejectus & per os sangvis impurior, sed adeo acris ut fauces exulceraret; hinc nullæ ejus qverelæ graviores exceptæ, qvàm uri & excoriari sibi fauces, buccam, gingivas. Havd dubiè cibaria, qvæ in scrotum qvoq; descenderant, cùm eluctari ad anum non possent, morâ & calore loci in acidum crama degeneravere, unde acres illæ versus superiora regurgitationes, qvas acidas ipse æger interrogatus agnoscebat. Supervenit tandem gangræna scroti, & reluctante licet chirurgo, fata absolvit.

LX.

Fæmina, qvæ mortuam se credit, & miratur se qvandóq; reviviscere.

Ol. Borrichii.

HOnestissima matrona propemodum septuagenaria, cùm ante biennium valida adhuc & sensibus integerrimis in culinâ nescio qvibus cibariis assideret, illapsa per januam subitò avra frigidior ita occiput ejus penetravit, ut in pavcis horis hemiplectica concideret, & toto triduo parum à mortuâ distaret. Narcosis perpetua, rhonchi crebri, spumosa circa os, pulsus aliqvando undans, sæpe velut deficiens. Quarto die, antapoplecticis diu fota, fricta, fumigata levavit oculos, havsit pharmaca, loqvi cœpit, sed pleraq; aliena; præ cæteris avtem, (in qvo adhuc per intervalla durat) nominavit fæminas usu & familiaritate sibi cognitas, qvarum ministerio jam mortua (ita enim constanter credebat) feralibus linteis vestiri vellet, & in arcâ reponi. Cumq; filia & famulæ nondum obiisse dominam identidem occentarent, illa iratior iterum, iterumq;

rumq; emisit, qvi familiares tarditatis in ultimo illo officio increparent. Tandem moræ impatiens, & minanti propior à famulâ domesticâ etiam diu reluctante officium funebre extorqvet, mirata subinde cunctationes matronarum, ut qvibus toties in articulo mortis domesticorum sedula adfuisset. Quid multa? vestitur habitu exstinctis solenni, & in anaclinterio extenditur. Diu se circumspicit, & jam ibi aciculas parum fidas, illic fimbrias ultra morem propendentes, alibi lintea non satis munda cavssatur. Tandem in somnum prolapsa ab ancillis expeditur iterum voluminibus funebribus, & in lecto ad qvietem reponitur. Experrecta iterum mortuam se asseverat, &, ut antè, de pollingentibus sollicitam se ostendit. Recurrit diu ex intervallo eadem cantilena, nec aliud præsentius perversæ imaginationi à me inventum est remedium, qvàm pulveres gemmei opio alternis diebus remisti. Ex qvo vivam se intellexit, sæpe in Norwegiâ se apud filiam esse arbitratur, negantibusq; contumaciter contradicit, accingitq; se nonnunqvam ad iter Hafniense, nec alia techna hanc ejus opinionem discussit, qvàm qvòd carpento in suburbana aliqvando evecta, cùm rediret, portam domûs suæ agnoverit, & tum demum è Norvegia Hafniam reversam se esse pronunciârit. Interea manuum, pedumq; ministerio utitur satis expeditè, sinistris tamen partibus pavllò timidiùs, comedit liberaliter, alvus respondet, cætera sanis similia, nisi qvòd dormire neqveat, nisi alternis noctibus opio somnos invitet; & primo qvidem anno suffecit narcotici granum unum, postea non secuta qvies, nisi duobus granis advocata, nunc tria reqviruntur, ita sensim natura assvetudine longâ cum opio familiaritatem contraxit. Hodie, maximè circa solstitia, & æqvinoctia vel iterum mortuam se credit, & pavllò post re-

revixiſſe ſe miratur, vel, qvod ipſi jam freqventius, epulis mortuorum ſe intereſſe arbitratur, vel jam diu exſtinctis mente & animo convivia præparat. Uſq; adeo firmiter cerebro inſedit mortis illa imago, ut perpetuũ ferè cum larvis commercium ſibi eſſe perſvaſiſſima ſit. Alia honorata Matrona ex lochiorum ſuppreſſione febricitans infernam ſe furiam eſſe voce intentiſſimâ aſſeruit, & è lecto ſubitò procurrens, oculis ad formidinem aſtantium efferis, rubentibusq; ſum, inqvit, vera Tiſiphone Stygia, ſum ardens apud Inferos genius, & ſimul in oculos mariti involavit ungvibus, me ad Tragicum ejusmodi ludum cohorreſcente. Rediit illa tamen ad ſaniorem mentem, & largo fletu delirium expiavit. Alia, poſtqvam à partu convaluiſſet, ſacram ſcripturam nullo modo ſibi ſcriptam eſſe obſtinatiſſimè pertendebat, & cùm ſacris intereſſet, ſalutaria miniſtri *E*vangelici monita ad cæteros qvidem omnes, ſed ad ſe neqvaqvam pertinere aſſeverabat, expurgata tamen iterum, iterumq; pharmacis amurcam ſangvinis emendantibus integræ menti reſtituta eſt.

LXI.

Roſſalia ſqvamoſa.

Ol. Borrichii.

SÆpe hoc anno ἐρυθήματα illa videre contigit, qvæ vulgò Medentibus Roſſalia appellantur, & ad morbillos referri ſolent. Infeſtant præſertim teneram ætatem. Ægri primùm narcoſi, mox febri continuâ, eâq; vehementi tentantur, & pleriq; ſimul deliriis. Adeſt inqvietudo ſumma, & inſignis oculorum pæne lacrymantium hebetatio. Tertio die ſpargitur univerſa cutis maculis latis,

 op-

oppidò rubentibus, qvæ circa finem ejusdem diei in unum coeunt omnes, adeo ut corpus totum qvasi pulvere granorum Chermes videatur perfrictum, solâ facie à rubore isto liberiori. Durat formidatus Matribus color totum triduum, & Bezoardicis interea largiter propinatis, qvarto die declinare incipit, & calor præternaturalis imminui, cuticulâ seqventibus diebus in tenues veluti sqvamas fatiscente. Quippe hæc tanqvam in veru assata perdit seqvacem illum lentorem suum, & flectendi se se obedientiam, unde ad motum corporis variè primùm disrupta hiat, hinc sensim excidit, aliâ succrescente. Alia verò cavssa imperare videtur serpentibus, ut novo vere exuvias deponant. Nempe alimentum vel nullum, vel exiguum hyberno tempore efficit, ut succus, qvi in corpore restat nutritius, ægre ad extimas partes gelu pæne rigentes (ut est bestiola alioqvin & mediâ æstate ad tactum frigida) deferatur, unde epidermis tanqvam vestis, alimento suo destituta ad vernos calores exuitur, & ceu alienum corpori involucrum rejicitur. Quin & elephantiacorum cutis in sqvamas degenerat, qvia alimento conveniente fravdatur.

LXII.

Acerrimi dolores capitis evporisto sanati.

Ol. Borrichii.

Vixit non ita ptidem apud nos Vir illustris, sed vixit iis cephalalgiæ doloribus obnoxius, ut jam diu mortem sibi vitâ optabiliorem æstimaret. Incipiebant dolores ab utrisq; temporibus, & pavlatim altiùs in cerebrum evecti, utrinq; tanqvam malleo fabrili latera tundebant. Et qvidem visum tolerabile malum, qvamdiu hi

imas

imaginarii mallei seorsum tragœdias suas exercebant, sed qvando miscebantur ictus, ita ut in unam simul in medio cerebro incudem ferociter incumberent, præ cruciatu non amplius apud se erat, sed deliro similis cubicula oberrabat, immò aliqvando animi tentabatur deliqviis. Svaserant Medici, ut tentatis incassum variis arteriam temporalem pateretur sibi incidi, solenne aliàs in hoc casu remedium, ad qvod nescio qvo metu inductus descendere recusabat. Tandem cùm constaret dolores illos proficisci à nimiô sangvinis arteriarum temporalium fervore & impetu, ex consilio cujusdam in medio dolorum cursu strophiolo aqvâ frigidâ madido collum circumdedit, & cum à nativo calore incalesceret linteum, novo permutavit. Unde dolor qvasi excantatus furere eo tempore desiit, & qvoties redibat (id qvod singulis ferè mensibus solenne) eodem strategemate elusus est, admirante ægro tam efficax remedium è puteo suo tam levi operâ havriri. Medicis avtem ea medicandi ratio suspectior, non qvòd nesciant contraria curari contrariis, avt, ut prudenter *Hippocrates*, subcontraria subcontrariis, sed qvia tum vident symptoma tantùm hoc modo tolli, non primam mali cavssam, tum quia ab illo remedio sæpius usurpato vel paralysin timent, vel apoplexiam, clavsis subito frigore nervosis partibus. Aliqvando tamen, non inficior, usus vincit rationem, & nihil eo periculo, in qvo æger versatur, periculosius est. Parisiis nihil in hoc malo freqventius sectione arteriæ temporalis; atq; notavi in Nosocomio (l'hostel Dieu) qvoties chirurgus ob profunditatem arteriæ nonnihil tricari necesse habebat, ut scalpellum justè adigeret, nonnunqvam cum Alexandro violentiùs usum fuisse oraculo, hoc est, arteriam ipsam transverso ictu resecuisse, unde resedit qvidem dolor, & divisæ arteriæ partes facili-

ùs coierunt, qvàm post incisionem punctim inflictam, metus tamen est, nè partes capitis ab illo arteriæ funiculo, qui avulsus, nutriendæ, fovendæq;, eclipsin aliqvam in posterum patiantur. Quod *Forestus* refert à suspensâ è collo verbenâ sedari dolores capitis, id licet sæpe experiri placuerit, tum in plantâ viridi, tum siccâ, nunqvam tamen evidenter successisse animadverti.

LXIII.

Evporista ad catharrhactam imminentem.

Ol. Borrichii.

QVando veluti rete oculis obtendi incipit, & qvasi fila visionem inhibere deprehenduntur; item qvoties duæ, avt plures maculæ albæ pupillam obsident, adhuc qvidem, sed ægrè, translucidæ, duo nostratibus mulierculis remedia sunt, & qvidem sæpe fructuosa. Aliqvando capiunt securim ferream mundam, & in planitie ejus ad æqvilibrium collocatâ strophiolum purum, sed usu ferè detritum, & jam conglobatum reponunt, admotâq; candelâ accendunt. Postqvam exarsit, dissipatis flatu oris favillis, ad oras ustinæ oleum crassum sed pavcum inveniunt, qvod sollicitè exceptum digito oculis ægris ingerunt, & qvoties necesse, repetunt. Est avtem oleum illud præcipuè lintei soboles, sed cui à vicino ferro aliqvot, opinor, ramenta tenuissima adhæsere. Itaq; dissipantur nubeculæ illæ à tenuitate olei, firmantur oculi fibræ à ferri mantissâ. Alterum hoc est: Capiunt frustum electi Zingiberis, derasoq; cortice tam diu affricant coti (qvâ acuuntur scalpella) admistâ portione aqvæ rosaceæ, donec in fundum vasculi ex attritu crassamentum qvoddam deponatur; hinc leni incli-

clinatione vafis rofacea tenuior effunditur , quod avtem fpiffius,palpebris,clavfo oculo, mane,& vefpere allinitur, ibiq; qvietè relinqvitur, donec æger agnofcat evidentem in oculo calorem, tum digito inunctum magma abftergitur,& labor idem, qvoties reqvirit neceffitas, ingeminatur. Fricant avtem potiùs,qvàm tundunt Zingiber,ut mollius, tenuiusq; evadat fpiffamentum, nec fibris, qvæ ex attritu prodire folent, inhorrefcat ; fanè ex crebra ufurpatione alterutrius pharmaci non rarònotavi infignem fructum, malo nondum confirmato, nec ratio aliud perfvadet.

LXIV.

An fluentibus liberaliter hæmorrhoidibus liceat uti cathartico?

Ol. Borrichii.

DUbitandi ratio inde proficifcitur , qvòd purgantia turbent,aperiantq;,& hoc pacto ampliorem profufioni fangvinis videantur aperire feneftram. Contra, humorum acrimonia interea fvadet catharticum,nè illi incubitu longiori hæmorrhoidas patefaciant largiùs. In hoc bivio,tutiùs purgari,qvàm abftinere, docuere me experimenta. Fuere enim ex ægris meæ fidei commiffis , qvi menftruis ejusmodi evacuationibus vexati, cùm viderent fe tandem debilitari non criticis , fed fymptomaticis his excretionibus, opem flagitavere, quibus ego freqventer infufo rhabarbari fuccurri, obfervans ternis alvi folutionibus, inter purgandum vix tantum cruoris effundi, qvantum unà vice extra purgationis tempus excerni folet, immò fæpe in ipfà purgatione nè guttam fangvinis profluere, averfà aliò humorum rodentium acrimonià. Sed qvid av-

audendum, si evacuatio menstrua fœminis propria ultra debitum perseverat? Nec hîc formidandus rhabarbari usus, quanquam providentiùs incedendum. Nam alia purgantia plerumq; hîc infida sunt, & ab aloëticis certum periculum. Quoties autem gravidæ supervenit fluxus hæmorrhoidum, ut fit qvandoq;, & is nec qviete, nec leniter adstringentibus sistitur, ægrâ interim qvotidie langvidiore, ambiguum est, utrum rhabarbaro locus sit; sed certum, potiùs istuc veniendum, qvàm cum evidenti periculo vel fœtus, vel puerperæ, vel utriusq; rem naturæ beneficio permittendam. Qui fortioribus hîc insistit, raró ita circumspectè rem transiget, ut non alterutri immineat exitium.

LXV.

Calculi per anum excreti,

Ol. Borrichii.

SÆpius id apud nos contingit, sed nunqvam conspectiùs qvàm in *Catharinâ Michaeliâ*, fœminâ propemodum sexagenariâ, qvæ ante, retroq; durum illud genus effudit. Vexabatur utriusq; lateris doloribus, stillicidio urinæ, vomitionibus, inqvietudine, ciborum fastidio. Itaq; adeo evidentia præsentis calculi indicia effecere, ut spiritum terebinth. Cypriæ, ol. stillat. chamæmeli & succini propinarem, addito decocto contra calculum Foresti, in qvo plusculum virgæ avreæ deferbuerat, commendans ex jusculis minutiorum avicularum, passerum, alaudarum, &c. sorbitiones radicibus petroselini temperatas. Qvam vivendi rationem cùm ad dies aliquot instituisset, levata quidem onere est sinistri lateris, exoneratis aliqvot in pel-
vim

vim lapillis, sed ærumna dextri lateris adeo non quievit, ut avctior deprehenderetur. Itaq; missis oleis, ad spiritum salis armoniaci, qvi urinam resipit, provoco, eiq; tum efficaciæ gratiâ tincturam cocci baphicæ associans ter quotidie ægram hac misturâ in spem sanitatis erigo. Illa solatium inde percipit, & sensim à doloribus, atq; anxietate liberatur, me adhuc de eventu sollicito, qvòd nullos ampliùs calculos in conspectum venire observarem. Tandem ita mecum: fortassis calculo vesicæ felleæ simul tentata est: qvo, sine qverimoniâ, per posticum excluso, non ampliùs cruciatur. Jubeo igitur familiarem sellam inspici, & affusâ aqvâ fæces liqvidiores elui, ut, si qvid in fundo delitesceret, coràm deprehenderetur. Quo facto calculi novem angulosi, flavi, nec oppidò duri offeruntur, qvos è vesicâ felleâ prodiisse nullum dubium est, testante colore, mollitie, & cæteris indiciis, de eorundem natalibus. Nam & centum, atq; eo ampliùs hisce gemellos vidi qvondam in Leidensis aniculæ cysti felleâ, cùm à morte, Clariss. *Sylvii* cultro pateret; & ex eo tempore satis freqventer. Putârim ab acido præternaturali in vesicam hanc sive cum sangvine, sive aliunde transportato, prima coagulationis initia bili impressa fuisse, qvæ postea morâ & calore loci magis induruerint. Idem aliis animantibus usu venit, & qvidem bubus sæpe. Nec lapidi porcino Indico (pietra del porco) alia origo, id qvod & sapor luculentè attestatur. Et nè solos calculos Indicarum bestiarum felleos æstimemus in alexipharmacis, sunt qvi bubulo felli in calculos densato tantundem attribuunt; immò, novi, qvi in Galliis, malignè febricitantibus bubulum fel, ut est, nativum & adhuc liqvidum, ad dimidium cochleare ptisanæ permistum cum fructu propinaret. Sed in-

ingratum oportet esse remedium , & non nisi infimo popello svadendum.

LXVI.

Qvartana post diuturnam violentiam sopita , tandem post usum Mercurii iterum evigilavit.

Ol. Borrichii.

HOmo militaris triginta annorum, ex doloribus vagis crura, dorsum, frontem, & præsertim nares infestantibus incidit in suspicionem Venereæ luis, & perfunctoriè à nescio qvo chirurgo tractatus qvartanâ tandem corripitur; speratq; fore, ut malum ultimum suspicionem prioris everrat, ex lege proverbii: Febrim id agere in corpore, qvod incendium in camino, hoc est, fæces & fuligines ante natas in solidum secum avferre. Verùm falsus avgurii diu circumtulit invisam febrim, & licet institutis huc illuc peregrinationibus , sensit etiam post annum integrum ejusdem insultus; qvibus demum circa æqvinoctium avtumnale qviescentibus, nondum qviescente pristinâ luis malignæ suspicione, commisit se chirurgo satis in hac palæstrâ exercito; qvi ad Mercurium more solenni provocans ptyelismum ad tres hebdomadas excitavit, nullo interea qvartanæ vestigio usqvam in corpore deprehenso. Postqvam ea salivæ lentæ vis educta esset, ut malignitatem superesse nullam arbitraretur, ventum est ad decocta vulgaria ex gvajaco, sarsâ, aliis; qvorum usu ad dies XII continuato, imperatis ex intervallo sudoribus, rediit ex inopinato qvartana, & jam antiqvum obtinens ægrum oppidò perplexum impulit, ut meum exqvireret consilium. Ego memor insidiarum qvartanæ, svadeo, ut decocto primo,

cev

ceu generosiori abstineat, contentus dilutiori illo, qvod *secundum* vocant Artis filii, donec apertæ, fatigatæq; ex Mercurialibus fibræ corporis collegerint se in robur antiqvum. Quo facto, ex intervallo utatur pilulis de sagapeno, aculeatis grano uno aut altero trochiscorum Alhandal; tribus autem proximis ante solstitium hybernum (qvod jam imminet) paroxysmis componat se ad sudores, assumpto gentianæ extracto, vel sale aliqvo volatili, vel deniq; cortice gannanaperide; cujus usum etiam in tertianis laudant hodie Britanni; nostri inter initia febrium parciùs usurpant, salibus lixivis in hoc malo plerunq; contenti, ut qvæ longo usu experti sunt salutaria, qvamdiu malum nondum septies admonuit. Non inviti tamen post septem paroxysmos ad gannanaperiden descenderent, nisi à corticum fraxini similitudine fucus sæpe in Peruvianum hunc corticem emanaret. Ajunt qvidem fraudem deprehendi frangendo, gannanaperidem in fracturâ nullas relinqvere fibras, fraxini corticem relinqvere; verùm si cortex fraxini vetustior est, fortassis etiam fibras perdiderit. Optimum hactenus ab eventu indicium: dosis enim fraxinei corticis non suspendit paroxysmum, Peruviani suspendit, sed, nisi purgatissimo ægro, metuenda recidiva. Verùm ad ægrum nostrum: cùm de eventu consilii nihil hactenus possit constare, illud tántùm hic monere libuit, ex allato hoc exemplo satis elucere, qvàm improbum, & pæne invictum sit in veris qvartanis acidum (nam spuriæ nonnunqvam facilè percurantur) ut qvod post annuum insultum, exclusâ tantâ pituitæ morbosæ copiâ, Mercurio detrectârit parere.

LXVII.

Puer totâ vitâ rudis, subitò ante mortem doctus & disertus.

Ol. Borrichii.

HOnorati Viri filius qvatuordecim annorum, licet cum fratre natu minori eodem usus præceptore, nihil adeo ediscere potuit, nihil ferè memoriæ imprimere, pauca loqvi, gravatè avscultare, integris tamen sensibus, & judicio, qvantum ferebat ætas, non aspernando; illo altero interea pulchrè in studiis liberalibus provecto. Qvid fit? præter exspectationem intempestâ nocte febri corripitur tardior ille, & subitò toto corpore erubescens delirare incipit, atq; aliena loqvi. Advocatus postridie deprehendo omnia turbata, pulsum oppressum, intremiscentem, freqventem, parvum, favces aridas, calorem urentem, verba tertiata, malè cohærentia, totam cutim non in maculas efflorescentem, sed veluti purpurâ tinctam, solâ facie exceptâ, qvam in liberiori aëre huc illuc jactabat. Jubeo illum bene sperare, si qvidem parere Medenti non detrectet, alioqvin improvisam instare mortem, ob summam ægritudinis malignitatem, qvod symptomata adeo gravia ipsum morbi initium comitentur. Is ad monita parum attentus pharmaca oblata partim vomitu rejicit, partim jactatione corporis, & captatione avræ frigidæ eludit. Biduum ita transit inter narcoses deliriis hinc inde distinctas. Tertio mane adveniens oratorem ægrum nostrum gemens deprehendo: loqvebatur sanissimo similis & promptiùs qvàm unqvam totâ vitâ, & erudittiùs: crederes Theologum de vanitate mundanorum ex arte disserere, non ægrum ingenii pingvis & obtusi in articulo mortis tricari. Emodulabatur sacras cantiones, qvas nunqvam me

memoriâ complexum fuisse præceptor sanctè asseverabat; in contemnendâ morte ita facundꝰ erat, ita plenus rationibus,qvæ dissolutionem corporis non formidandam svadent, ut eruditus aliqvis Senecæ nepos non potuerit meliùs. Quin & latinè subinde loqvebatur, & sine hæsitatione, cùm triduo antè,substantivum cum adjectivo (cev vocant) ex disciplinâ conjungere nescierit. Et hæc omnia prudenter,& sine ullo delirii vestigio ab eo disputata sunt, præcipuè avtem multis precibus fatigatâ mater anxia , ut sacerdotem vocari juberet,qvòd intimè se inardescere ingeminaret desiderio sacri epuli , ut per teneram ætatem nondum sibi degustati. Nec mora,adest curator animæ, avdit sanâ mente confitentem reum , expiat admissum crimen,& religioso viatico langventem communit. Vix hora dimidiata ex eo lapsa est , cùm iterum ad deliria reversus,& corpore, anhelituq; debilior ante noctem fatis concessit.

LXVIII.

De Epilepticis varia.

Ol. Borrichii.

NObilis adolescens eqvestribus deditus exercitiis tentabatur crebrò tussiculâ , sed siccâ , & subinde dentium doloribus. Rejecta in collum angustius, & catarrhum à glandulis capitis descendentem culpa; avgebatur suspicio, qvòd oculi tantillum extra orbitas suas eminerent, & nonnihil erubescerent. Sed cùm sæpiùs , & graviùs admoneret odontalgia,dentem, cui dolor præcipuè incubabat,evelli jussit,nullo ferè operæ pretio, serpebat enim malum ad vicina, & ad ipsam maxillam penetrabat.

bat. Sociis interea delicatulum clamantibus, qvòd à muliebri ægritudine constantiam suam turbari pateretur, ille die qvodam in publico diversorio inter amicos subitò corruit exanimis qvasi fulmine percussus. Deportatur in lectum, ibiq; odoribus & aqvis apoplecticis variè excitatus tandem post horam dimidiam vivere se ostendit, domumq; translatus postero die surgit sed langvidior, & in narcosin cum gravitate capitis junctam propensus. Vocati Medici cephalicis & iis, qvæ comitialem avertere solent, insistunt, exiguo fructu, qvippe æger ex intervallo jam animi deliqviis, jam epilepticis convulsionibus, iisq; horribilibus divexatus, tandem pleno rationis usu ex langvore insolito succubuit. Cumq; testamento ultimo jussisset se in Patriam à morte transferri, adeoq; balsamo, more Gallico, condiri, ne navigantibus fœtore molestus esset, desiderio ejus adversari non placuit. Aperitur ad condituram à qvatuor chirurgis, & in reliqvo corpore, nihil adeo morbosum deprehenditur, præterqvam qvòd superior dextri pulmonis facies præter morem nigresceret, ex acidis, opinor, humoribus istuc sensim à capite depluentibus, & dexter testiculus intra abdomen conderetur, pusillus & exsuccus; sed ubi ad cerebrum perventum est, abscessus se obtulit in dextrâ ejus, & qvidem superiori parte, non ad latus, sed propemodum in meditullio, isq; fœtidissimo pure albo stagnans, ad amplitudinem ovi gallinacei; aderat & serum, sed parcius, qvòd ad spinalem medullam videbatur sibi aditum patefecisse, undo convulsionum freqventia. Æger avtem, qvi sæpe conqvestus erat de dolore frontis, & qvandoq; occipitis, nunqvam ostendit sibi illam partem dolere, qvæ vomicam occultabat, havd dubio argumento, cerebrum ipsum non patere doloribus, sed duntaxat, qvibus involvitur, membranas. Constat inter

ter alia ex hoc exemplo qvàm vanæ ſint pollicitationes qvorundam, ſpondentium certam cujusvis epilepſiæ, etiam hæreditariæ curam, cùm hic ipſum Apollinem, ipſum Æſculapium fruſtra advocâſſent Amici. Nihilominus nè nunc qvidem qvieſcit in urbe noſtrâ Empirica, ſed promiſcuè omnibus hoc malo aggravatis opem promittit. Illa avtem (nè myſterium publicè ignoretur) ex ſutoriâ pice, granis pæoniæ, & oleo caſtorei emplaſtrum format, & occipiti, eraſis, ſi qvi obſtant, capillis, calidè applicat, tamdiu hæſurum, donec ſponte decidat, qvod plerumq; circa duodecimum diem ſolet accidere. Quòd ſi perſeverat adhuc malum, toti capiti, ſed raſo idem emplaſtrum circumfundit, ſucceſſu aliqvando non pœnitendo, ſæpius tamen nullo, ut palam eſt. Quid enim faceret hoc emplaſtrum ad tollendum abſceſſum cerebri? qvid, qvoties malum urget per ſympathiam? qvando maligna avra attollitur vel à tumore manus dextræ, qvod *Platero* obſervatum, vel à ſiniſtrâ, qvod *Hæcſtettero*, vel à mammâ, cruribus, teſtibus, pollice pedis, qvod *Schenchio* & aliis; immò infinita ſunt exempla epilepſiæ per conſenſum, qvibus ab illo emplaſtro parum ſperari poteſt præſidii. Id rarum in qvodam cive noſtro, cui à carioſo pedis pollice oboriebatur hoc malum; qvoties percepto priùs in pollice motu inqvietiore, & mox in crure, faſciâ crus ipſum pavllo infra genuâ ſtrictè ligabat, anteqvam ultra pergeret formicans inqvies, paroxyſmum notabat ſuſpendi; ſed ſi negligentior pateretur malum ſuperare genua, poſtea nullum à faſciâ injectâ obſervabatur avxilium. Potuiſſet is vel exſtirpatione pollicis, vel inunctione butyri Antimonialis, de qvâ medicatione Henr. ab Heer, perſanari, ſed maluit periclitari totum, qvam partem ignobilem tolli.

LXIX.

Qvid faciat aliqvando immanitas doloris.
Ol. Borrichii.

DOlui ex animo, cùm ex *Antonio Gvajnerio* apud *Gabelchoverum* legerem, Virum qvendam bonum, cùm diu dolores calculi crudeles patientissimè sustinuisset, tandem victum acerbitate cruciatuum animam suam infesto Dæmoni commendâsse, modò à doloribus liberaretur. Mitiùs fortasse magnus ille Macedo, sed tamen vehementissimè doluit, cùm, avctore *Curtio*, epoto jam Herculis scypho, repente velut telo confixus ingemisceret, & ferrum posceret in remedia. Parum absuit ab honorato qvodam viro nostrate, peregrinationibus claro similis fortuna: Is postqvam diu luctatus esset cum infelici stomacho, omnia cibaria per vomitum rejiciente, aliisq; doloribus hypochondria vago, sed acerbissimo cruciatu affligentibus, aliqvando, cùm ex lege amicitiæ ægrum inviserem, præsente Medico ordinario, ad utrumq; conversus: Est, inqvit, qvod graviter sauciat conscientiam meam, occidi hominem, & manus innoxio sangvine inqvinavi; proinde iterum, iterumq; per omnia Vos sacra obtestor, ut Regi mox atrox crimen meum aperiatis, nè diutiùs justum supplicium eludam, & animæ periculum adeam desperabundus. Nos circumspicere omnia, notare vultum ægri, habitumq;, & cùm constaret eum sanâ mente ex meditato ita loqvi, ambigere, utrum doloris impatientia hæc verba dictaret, an vulnus conscientiæ. Abeuntes premere illa silentio constituimus, & aliâ vice in circumstantias facti operosiùs inqvirere, ne vel amico, vel veritati deesse videremur. Redeo ergo post dies aliqvot, & de statu ægri percunctor. Ille vultu sereniori, in-

inducias, inqvit, hodie experior, non ita acriter me lancinant dolores; cùm adesset superioribus diebus, ea fuit tormentorum sævities, ut qvamcunq; lanienam mallem, qvàm eadem ulteriùs sustinere: proinde studio finxi (ita me superi ament) commissam à me cædem, ut vel publico supplicio domesticum hunc & qvotidianum tortorem evaderem. De militaribus ingeniis hìc ego nihil, ut qvibus non infreqvens est gladio vel stlopo imperare doloribus suis, qvoties aliqvanto diutius, acerbiusq; perseverant.

LXX.

De urinis varia.

Ol. Borrichii.

CHristianus Mauritii herniâ carnosissimâ laborans & ante sectionem, & post eandem, urinam reddidit adeo frigidam, ut fontana vulgaris medio avtumno gelidior non sit; convaluit nihilominus, & sanus ad suos regressus est. Fortassis renes ejus cum vesicâ præter consvetudinem acido humore stagnârunt, in qvem incidens urina ex arteriolis adhuc suis calidè emulcta subitò diriguit, cev videmus extra corpus, urinæ spiritum acido potenti remistum strepere qvidem, & subsultantibus bullis velut effervescere, interea tamen nec incalescere vitrum, qvo adversi humores continentur, nec ipsos humores vel tepere saltem, sed potiùs de inusitato frigore attingentem manum admonere. Sic sal armoniacus, urinæ & salis marini tantillum sublimati soboles, cùm in aqvâ frigidâ dissolvitur, aqvam manifestè reddit frigidiorem. *Alterum*, honoratus civis qvartanâ diu enervatus, urinam subinde red-

reddidit vermibus sed mortuis fœtam; dixisses lumbricos terrestres, nisi curti, pleniq; magis essent, & minùs longi. An ex intestinis arrosis viam sibi fecerint in vesicam, an ibi nati sint, non satis liqvidum est; id constat, ægrum tertio inde mense, cùm diætæ leges parum attentè custodiret, accedentibus aliis qvoq; symptomatis, obiisse. Alioqvin vivos vermes sæpe conspicimus salis marini cumulos, si in loco obscuriori inveterârint, perreptare; dixerim tamen eos potiùs cumulis illis ex mucoso situ adnasci, qvàm innasci. Posse tamen vermes in renibus generari, & per ureteres demum in vesicam penetrare liqvidum est, id qvod crebræ inspectiones renum caninorum, præsertim vetulorum manifestè demonstrant, sed in vesicâ nasci animal, ad fidem difficilius est, ob loci inqvietudinem. *Tertium*, pistoris uxor effœta, hoc ipso tempore, qvo hæc scribo, meæ curæ permissa, præter dejectum appetitum, & summum ciborum fastidium qvotidie lotium reddit usq; adeo nigrans, ut dilutius atramentum imitari videatur, præsertim circa fundum matulæ, atq; id integrum jam mensem continuavit. Suspicarer ruptam in renibus arteriolam cruentum qviddam lotio aspergere, qvod tandē in nigrorem desineret, nisi id unum revocaret, qvòd in fundo nullæ fibrillæ observentur, qvales ex reddito per urinas sangvine conspici solent, natæ ex spissiori sangvinis crassamento, qvod diu urinæ nescit innatare. Fortassis lien amurcam suam per illa vasa expedit, eamq; ideo nigriorem, qvia solo propemodum vino Rhenano ægra viam hactenus tuetur, eoq;, ut palam, acidiori, cùm cibaria magis formidet, qvàm fullones ululam. Adjunxisse hîc juverit, propter eos qvi spiritui panis multum tribuunt, inter medios panes à furno calentes ægrotam decumbe-

rere,

re, adeoq; spiritu illo, qvamvis debiliori forsan, continuo tamen, non magis recreari, qvàm si inter totidem saxa ægrotaret, argumento, invalidos esse ad nutriendum odores, & gentem Astomorum *Plinio* laudatam fabulis annumerandam.

LXXI.

Ex venæ sectione oblivio.

Ol. Borrichii.

ADeo delicatæ texturæ est illa cerebri pars, qvæ rerum actarum memoriam custodit, ut levi negotio vel exporrigat se se nimiùm, & veluti plicas sibi impressas tensione violentiori complanet, vel madore flaccescat, unde oblivionem succedere verisimile est. Hinc aliquando morbo caput infestante perit memoria, avt imminuitur, aliqvando senio obliteratur, sæpe metu interturbatur, nonnunqvam terrore subito exstingvitur, immò pluribus aliis modis carpitur, & hebetatur. Sed ex venæ sectione jacturam sentire rarum est. Accidit id tamen facundissimo cuidam Ecclesiastæ pæne sexagenario, cui cùm jam febres, jam plethora necessitatem imponant missionis sangvinis, statim ab illâ evacuatione vacillare sentit memoriam, neq; etiam longo pòst tempore integram redire. An spirituosus ille calor, qvi fibras memoriæ conservandæ dicatas moderatè debet extendere, unâ cum exeunte sangvine pro ratâ parte exit, adeoq; fibras relinqvit minùs tensas, qvàm oportet? utcunq; fuerit, vas mirificè fragile est memoria, & rem probè meditanti, aliud ex alio remoram expediundi se objicit. Est mihi notus qvidam, satis alioqvin fidelis memoriæ, qvi in familiari

sermone qvoties ad nomina propria venitur, hæsitat, & circumspicit amicorum opem, alioqvin mutus futurus, licet millies eadem nomina ante memoriæ impresserit. Immò certæ sunt voces, qvæ qvotiescunq; etiam recitentur, non-nullis statim excidunt, cùm difficiliores & pronunciatu, & intellectu hæreant firmiter: de me testari possum, jam à pluribus annis, qvoties Candidatis Medicinæ monstrandæ erunt plantæ, semper excidere mihi vocem *pimpinellæ*, etiam oculis observante plantâ, anteqvam diu reminiscentiam perconter; cùm interea cortex *gannánaperidæ*, & jugum Hetruscum *Redicofane*, & alia inusitati generis nomina promptè occurrant. Dixeris, majori curâ ingeri memoriæ ignota illa; sed nulla sanè curâ effecerit, ut *pimpinellæ* subitò oblatæ memor sim, qvòd nimiùm freqventer experior. Nec dubitaverim, aliis similia contingere. Ego hic Davus cupidè Oedipum exspecto.

LXXII.

Ebrius sectâ venâ evadit sobrius.

Ol. Borrichii.

POtabant in cavponâ militares aliqvot homines, & jam iis præ vertigine tectum ambulare videbatur, ita se vino & cerevisiâ generosiori invitaverant, cùm Magister eqvitum, cujus imperio parere necessum erat, ingreditur cœnaculum, adjectisq; minis cogit eqvos inscendere, ut mandatum iter persegvantur. Illi ebrii, & vix sui compotes, nec inscendere se posse, nec etiam hærere in eqvis, nutanti corpore satis declarant. Tum ille stomachabundus ad chirurgum suum vertitur, &, seca, inqvit, temulentis venam, ut subitò comitari qveant, res enim moram non patitur. Dictum, factum; misso liberaliter sangvine e-

qvis

qvites ad ſanam mentem redeunt, & Magiſtrum ſuum non ſegnes ſeqvuntur. Hîc neceſſe eſt, ſpumantes illos Bacchi & Cereris ſpiritus, qvi cerebrum inqvietaverant, magnam partem è ſectâ venâ exhalâſſe, adeoq; partes vellicatas rediiſſe ad officium. Non tamen interpoſuerim fidem meam, ſucceſſurum illud, qvoties vel menſuram omnem exceſſit temulentia, vel ſpiritibus excitatiſſimis fœta vina, item ſtillatitii vinorum, aromatumq; liqvores ſolidam invexere ebrietatem, cùm tum omnis ſangvis in corpore operoſiùs ab ingeſtis tumultuetur, ideoq; unâ ſubitò januâ exire neqveat. Sed cur ii, qvi ebrii vulnerantur, non ſtatim ad ſobrium mentis ſtatum redeunt; redeunt haud dubiè non pauci, qvibus largiùs emanavit cruor, eò uſq;, ut moleſtiam inde pæne nullam ſentiant; qvi verò ebrii ſimul & ſtomachabundi ſauciantur, levamen non ita promptè experiuntur, revocatis in cerebrum ſtimulis ſpirituum acrioribus. Sic qvibus ebriis caput ſeſqvi plagâ vel contunditur, vel aperitur, aliqvando expergiſcuntur nunqvam, ſæpe in lethargum incidunt, adeoq; à ſectâ venâ ebrietatem neqveunt excutere. Memini inter plures, *Oſtervaldum* cubicularium, cùm ebrius ex editâ feneſtrâ in ſaxum areæ præcipitatus caput graviſſimè læſiſſet, adeoq; in lectum deportaretur, neq; ex cruore per vulnus profuſo, neq; ex ſangvinis è venâ brachij miſſione, qvam ſtatim imperaveram, ad ſanam mentem rediiſſe toto biduo, turbatis nimirum ratiocinandi inſtrumentis, qvanqvam poſtea plenè convaluerit. Et Magiſter textorum in pædotrophio Chriſtiano-hafnienſi, poſtqvam ebrius è ſcalis in caput provolutus eſſet, & ſimul in ſomnum funeſtum prolapſus, nunqvam evigilavit, licet ad triduum pulſu & anhelitu ſic ſatis conſtanti vitæ adhuc proderet argu-

menta, & plus, qvàm necesse esset, sangvinis ex aperto capitis vulnere excluderetur.

LXXIII.

Varia cadentium fortuna.

Ol. Borrichii.

TRalatitium est, & vulgo etiam compertum, homines nonnunqvam cadentes ex edito loco non lædi, sive id angelorum custodiæ (qvod malim credere) adscribas, sive corporis positioni inter cadendum fortunatiori. Talis mihi cognitus, qvi puer ex altâ turri in saxeum stratum præcipitatus, postqvam se cadens pedibus excepisset, nullum damnum sensit, nisi calopodiorum ligneorum, qvibus pedes munierat, fracturam. Libuit tum experiri sociis ejus, verúmne esset, qvod vulgò jactari solet, ælurum qvomodocunq; cadat, semper ita se in medio periculo gubernare, ut terram attingens insistat pedibus. Projectus ergo è fastigio turris in ipso lapsu variè gyrabatur, nonnunqvam pronus, aliqvando supinus, sed ubi ad pavimentum allisit, in pedes erectus subito cursu profugere nitebatur, & currebat strenuè ad teli jactum, mox in ipso cursu mortuus diriguit, cerebro, opinor, ex illo lapsu nimiùm concusso. Altioris est indaginis, qvod Sevenhusæ in Hollandiâ qvotannis accidit, & mihi bis spectatum est. Nemus ibi surgit modicum, sed in qvo plurimæ arbores volucrum nidis occupantur, succedentibus sibi in iisdem cubilibus, varij generis alitibus; de qvo plura *Hegenitius* in Itinerario Hollandiæ. Concesseramus istuc aliqvot amici eo tempore, qvo corvi aqvatici in nidis imperium exercent, non planè implumes, sed nondum volucres. Igitur præmonstra-

ſtrator noſter ut artificium capturæ oſtehderet, contum ab altero extremo recurvum arborum uni ſic ſatiſ proceræ, ſed trunci tenuioris impingit, & variè agitando, ſuccutiendoq; duos corvos plumatos qvidem, ſed alis ſuis nondum fidentes nido excutit. Illi qvi aqvarum naturam experti nunqvam fuerant, in medio lapſu dum ſuperficiem aqvæ (ſuberat enim rivus, in qvem decidebant) attingunt, tantâ ſagacitate immergunt ſe undis, ut, cùm tres famuli aſtarent, omnes itidem ſudibus longis armati, ut decidentes interimerent, ictus eorum diu eluſerint, alio ſcilicet margine rivi emergentes, qvàm qvò in cædem parati excubabant; Dixiſſes volucres has, & vix bimeſtres, in illo foro evadendi pericula, pluribus annis dexterrimè ſpectatas fuiſſe, ita nulla eſſe potuit matrum ſolertia prudentior. Id qvod, meâ qvidem ſententia, ſatis evidenter docuerit notiones qvasdam fœtibus animalium ingenerari, ſine prævio genitorum magiſterio; neq; enim hi, ut ita dicam, corvuli, imperiti rerum, & experimentis imbuti nullis, nec à nido in terram proſpectare docti (tantum abeſt ut aſſveti lymphis fuerint) hos omnes curſus, recurſusq; , has è periculis intentatis exeundi technas ſciviſſent, niſi ab innato emanâſſent principio. Quin & anatum ova gallinis incubantibus ſuppoſita atteſtantur idem: excluſi enim hi anatini pulli & gallinaceis permiſti, ubi ad fluviolum venitur, ſtatim, nullo niſi inteſtino doctore, aqvas ingrediuntur, natant, alimenta qværunt, ſtupente veluti gallinâ, pullorum, qvos ſuos æſtimat, degenerem indolem. At hi pulli matrem viderunt nunqvam. Hæc eò tendunt, ut, ſi notiones ſuas claras, diſtinctasq; ab ovo ſecum ferant volucres, majorem utiq; prærogativam largiamur animæ humanæ (utcunq; ſuas alioqvin tenebras agnoſcat) nec eam vel exiſtimemus tabulam raſam eſſe,

 vel

vel generalem regulam: *Nihil esse in intellectu, qvod non ante fuerit in sensibus.* Sed ad cadentes iterum: Alius è scopulo Stephanite ad trecentos pedes in præceps per infortunium actus piscatorem in subjectis undis cymbulæ suæ inhærescentem subito lapsu exanimavit, ipse salvus. Sacerdos qvidam Hafniensis fallente vestigio è scalis suis proruens in filiam advolantem caput impegit, elisurus havd dubiè calvariam, nisi ex improviso adstitisset virguncula. Verùm superat hæc omnia fatum Svecanæ fæminæ, qvæ mense Augusto hujus anni, ex incensâ à nostris ad Calmarniam bellicâ hostium nave (cui à clave nomen) in sublime ultra centum pedes cum infante, qvem ulnis retinebat, rapta, deflagrante simul omni tormentorum pulvere, in mare inter medios ignes salva procidit, puerulo suo comitata, & à nostris excepta Ølandiæ suæ reddita est, ut fati sui lusum, & nostrorum misericordiam evulgaret.

LXXIV.

Menstrua per nares exeuntia.

Ol. Borrichii.

NObilis inter Hafnienses fæmina post annum ætatis qvadragesimum, admonente sangvinis menstrui impetu jam in mammis, sæpe in gingivis, non raró in extremitate narium pruritus invisos experta, partem odiosâ titillatione molestam crebrò manibus perfricare solebat, inprimis nares, ut injuriæ huic magis expositas. Quo effectum, ut evacuatio menstrua, qvam alii loco naturæ leges reversare solent, vicibus statis in vestibulo narium diu exerceretur; donec à Medicis exorata per iteratas venæ malleo-

leolos pedum allambentis sectiones in alveum suum humor solennis revocaretur. Nec difficile fuit in illo corpore sangvinem huc illuc promovere, ob summam, qvâ æstuabat, mobilitatem: qvâ impellente, sæpe præsens notavi maculam in brachio, manu, crure, subitò & sine evidenti cavsâ obortam, & minutam illam, ante qvadrantis horæ lapsum in eam excrevisse amplitudinem, ut volam manûs æqvaret, initio rubens, mox livida, tandem varia, & sugillationi qvàm simillima; adeo ut inter primordia conversationis in illâ domo suspicarer conspectas maculas à dissidio & vellicatione iracundi, & violenti mariti, profectas esse. Quod contra erat, placidissimum enim sensit conjugium, sed sangvinem ita inqvietum & reciprocantem sese, ut nullus Evripus existimetur fuisse adeo versatilis. Sæpe pridie cutis ejus alba erat & nativæ similis, postridie tota versicolor, & pantheræ æmula; adeo ut Medici non assveti his mutationibus, cùm, dominâ ostendente, cutim ipsius sollicitè inspicerent, sine hæsitatione statim pronunciarent, nihil eâ morbosius, & scelotyrbe afflictius reperiri. Interea qvoties sectâ venâ sangvinem mittebat, nihil eo purius, integriusq; deprehensum; erat enim illud sangvinis ejus ingenium, ut (qvemadmodum vinum recentius, & cerevisia adhuc calens) despumando fæces suas extra se protruderet, & foras amandaret, ipse intaminatus. Libuit accuratiùs recognoscere, unde tam subitò erumperent maculæ illæ; demumq; notatum mihi, qvoties instabat ejusmodi phænomenon, partis subjectæ vasculum aliqvod sangvineum, licet tenuissimum, ampliari tantillum, & mox per diapedesin guttulam cruoris extra alveum suum propelli, qvæ deniq; in angustiis carnis, cutisq; luctata qvaqvaversum se se diffundens, & mox addentata hanc sensim varietatem coloris invexit. Id in labris, & ubi tenui-

tas cutis patiebatur, id in reliqvis subinde partibus observatum. Sed qvid vascula ita ampliavit? freqventior in sangvine, nisi decipit avgurium, acidi & salsi pugna in flatus desinens.

LXXV.

Matre variolis exstinctâ infans sine variolis exclusus.

Ol. Borrichii.

NImiùm eqvidem solenne est, matrum vitia in fœtus, qvos adhuc sinu complectuntur interiori, transire. Et memini spectatam mihi in nosocomio Parisiensi virgunculam à partu adhuc rubentem, cujus genitalia fœdis ulceribus Venereis manabant, derivato in misellam à genitrice infortunio. Verum enimvero non est perpetuus ille consensus, nec ferè nisi inveteravit malum, fœtum inqvinat; cujus cùm plura alibi recenseantur exempla, unum hîc annotâsse satis fuerit. Illustris qvædam Comes octavum jam mensem prægnans variolis corripitur, iisq; ita freqventibus, ut à plantâ pedis ad verticem usq; nihil in cute ejus non pustulosum. Itaq; nihil à Medicis intentatum, (eramus enim plures advocati) ut pustulis his sua constaret rotunditas, & serosior adhuc, tenuiórve liqvor in saniem purulentam facesseret. Sed juvencula, omnium, qvas vidi, inqvietissima perpetuis membrorum jactationibus, & captatione frigidulæ avræ effecit, ut retrocederet in corpus liqvor, relictâ in pustulis valleculâ, & in ejus meditullio, puncto obscuriori. Nihil actum precibus Medentûm, nihil minis; perseveravit illa minarum & lethi contemptrix, donec undecimo morbi die fœtus spectaret

fo-

ras, & inqvietudine matris excussus sedibus suis manu obstetricis allevante prodiret in conspectum puellus bene obesus, optimè formatus, nullum in corpore variolorum circumferens vestigium; sed qvi nondum maturus sorbendo externo aëri (agebat enim non nisi octavum mensem) post horam dimidiam exspiravit, matre pavllò post spretarum admonitionū pœnas immaturo etiam obitu luente. Usq; adeo verum est illud magni Coi: Ad curandos morbos non Medici tantùm reqviri peritiam, sed & obedientiam ægrorum.

LXXVI.

De sudore perpetuo volæ manûs.

Ol. Borrichii.

VIvit apud nos, avt certè nuper vixit illustris legati filia nubilis, in Brasiliâ qvidem nata, sed pulchritudine & membrorum aliàs conformatione optimâ insignis, cujus volæ manuum perpetuò sudant, etiam hyberno tempore; non ulcerantur tamen, sed madent tantùm subtili humore, qvem cùm oppidò abominetur, plurimorum in Belgio, atq; alibi consiliis usa nondum invisum laticem ita sistere potuit, ut non ex brevi intervallo recurrat. Inqvietatur eadem freqventer retentione menstruorum, cui incommodo cùm rogatus ex præceptis Artis obviam irem, soluto tandem hoc nodo, observavi parciùs sudare manus qvoties illa liberaliter debitum menstruum exsolveret, qvo iterum tardante, recrudescere sudorem manuum, ut vel hinc novi generis consensum liceat recognoscere. Non putârim tamen sympathiam hanc nervorum propaginibus communibus, avt alij vasorum conspirationi adscribendam,

dam, sed solenni humorum gravium ad inferiora propensioni: qvippe fluentibus menstruis necesse est serum in supernis corporum partibus præsertim in sangvine stagnans imminui, adeoq; tum minùs alibi exsudare; restitantibus avtem illis, pergit in pristinos alveos, atq; ex illis, si qvæ pars imbecillior est, & poris magis pervia, sudoris iterum specie extunditur. Non alienum hîc fuerit meminisse studiosi Germani, cujus qvidem volæ manuum non madebant perpetuis sudoribus, sed ardebant perpetuo rubore; nec continebat se pruriens rubor intra volam, sed pavlatim ad extima digitorum proserpens qvavis hebdomade amplius occupabat spatium. Curiosum erat videre mediam digitorum partem qvasi cocco tinctam, ardentemq; mediam nativo albore coruscam, & tepescentem. Diu tenuit hoc malum, & diversos Medicos etiam in Germaniâ fatigaverat. Erat avtem eò formidabilius, qvòd ardor ille plures post se sqvammas in cute relinqveret, & tristi vultu appareret spectantibus, ac si in elephantiasin tandem videretur propendere. Cessavit tamen post crebrum usum catharticorum, & modestè refrigerantium, advocatis simul in avxilium coralliis, Antimonio diaphoretico, acidulis, diætâ crassitudinem humorum inducente.

LXXVII.

Tumor frontis & narium à cavterio suppresso.

Ol. Borrichii.

Vir nobilis, sed surdaster cavterium ex meo consilio jam diu in occipite circumferebat, non pœnitendo successu; qvi enim antea subinde parum, aliqvando nè qvidem tormenti bellici explosi impetum avdire poterat, nisi

nisi ore admodum hiante, & sparso, post menstruũ ejus usũ pavllò distinctiùs percipiebat sonos, tandem, additis subinde, qvæ in rem erant, pharmacis, plenum avrium fructum consecutus. Et licet ex eo tẽpore in diætæ leges gravissimè qvotannis peccaverit, nihil tamẽ roboris decessit avditui, excubante scilicet in occipite fonticulo. Tandem longum iter ingressus, & tricas in purgando scrobiculo scaturiente exosus, passus est eundem occludi, secus ac proficiscenti svaseram. Interjectis deinde pavcis diebus frontem intumescere sentit cum vicinis naribus, eò usq; sensim invalescente & dolore & tumore, ut nè pileum qvidem ferre posset. Cui malo ut in itinere obviam iretur, in harenâ, qvod dicitur, consilium cepit, & strophiola sale & aqvâ madentia identidem fronti applicando vitium obortum visus sibi est discussisse; certè enim reqvievit impetus, sed ut permissis tum induciis postea graviùs alium locum vexaret. Rediit tandem, sed ita ut postridie reditûs evigilarent in pedibus ejus arthritici dolores propemodum intolerandi, argumento sopiri malum veriùs ejusmodi epithematis, qvàm bonâ fide tolli. Obduces, redeundum ideo ad cavterium neglectum, & hoc pacto invisum illud sanitatis instrumentum ad plures annos cum fastidio gestandum. Respondeo, vel non impingendum in diætam, vel concoqvendam ægritudinem, vel in Medici, chirurgiq; manus vel invitè sæpius veniendum. Sed ad difficultatem avditûs; eam, qvoties gravis est, & pertinax, non aliud certiùs expedit, qvàm cavterium in occipitio, id qvod plura me experimenta docuere. Ea tamen vis ejus non est, ut surditatem omnem qveat solari, præsertim illam, qvæ ex tympano fisso, avt ossiculis avditûs graviter concussis, confusisq; profecta est. Adiit ante sex annos simile infortunium primaria fæmina Helsingorensis, qvæ

actis in furorem eqvis curru excussa caput stratis plateæ impegit, adeo violento impetu, ut toto triduo muta, & sui immemor decumberet. Die qvarto tanqvam ex altissimo somno evigilans diu secum disputavit, ubi locorum esset; cumq; ab ingemiscentibus amicis scripto significaretur infelix casus (usus enim avrium planè cessabat) vix tandem credidit se prolapsam; cui malo cùm plures Medici Hafnienses, tum & Hamburgenses, aliiq; remedia etiam generosissima opposuerint, excitato etiam, in occipite cavterio, nihil tamen profectum est, nimiùm videlicet turbatis avdiendi instrumentis. Itaq; illa ex eo tempore, ut est ingeniosissima, avdiendi organa in oculos suos transtulit, loqventemq; maritum, & alios, qvibus familiariùs assvevit, ex dispositione oris attentè consideratâ propemodum ita plenè intelligit, ac si integris sensibus hac parte gavderet. Alius avtem, qvi per intervalla ferè surdus, & domi suæ clamantem uxorem ægrè avdiens, sed in itinere, flante alacriùs vento, avrium percipiens usum, cùm in nullis pharmacis, qvæ Practici hactenus literis consignârunt, invenisset avxilium, evidentissimum à simili cavterio solatium recepit.

LXXVIIII.

Digitus à triginta annis incurvus improvisò sibi restituitur.

Ol. Borrichii.

MArchio de Pianezza, Musarum & Charitum delitium, cujus humanitatem & virtutes Avgustæ Tavrinorum prolixè expertus sum, longâ impotentiâ dextri brachij afflictus, svasu Protomedici Torrini, concesserat

ferat ad *thermas Vinadienses*, ibiq; luto calente in tertium usq; mensem qvotidie perfrictus à Chirurgo Borello, in gratiam cum sanitate rediit, singulari fricantis etiam Chirurgi emolumento. Is enim postqvam triginta tum annis digitum incurvum circumtulisset, nullo non frustra adhibito remedio, incisis in maritimo qvodam cum Turcis conflictu tendinibus, hîc dum alii vacat curando, sensit pavllatim ex limo medicato calorem nativum recreari, hinc ultra solitum digitum exporrigi sine dolore, tandem planè sibi restitui, qvem & sanum, exporrectumq; mihi ostendit, solâ relictâ cicatrice amplissimâ. Sed dum hæc de usu thermarum Vinadiensium traduntur, non ab re fuerit addidisse, qvatuor locis aperiri thermas in Pedemontanâ regione; qvas inter *primæ* sunt *Vinadienses*, qvæ sulphure scatent & bitumine, serviuntq; ægris qvatuor modis, vel enim luto calente perfricantur eorundem membra, vel aqva potatur, vel servit loco balnei, vel adjuvat stillicidio, quod incolæ *tuccia* appellant. *Secundas* tenent *Valderienses*, (locus *Vaudier*), qvæ ejusdem ingenij sunt, sed agunt pavllò vehementiùs, totidemq; modis usurpantur. In harum canalibus noctu concrescit bitumineum qviddam butyro non dissimile, qvod diurno sole incidente evanescit, nisi maturè excipiatur, utile & illud ad debilitatem membrorum. Utræq; conspiciuntur in Alpibus maritimis versus Boream, de qvarum usu eruditè scripsit *Franciscus Gallina*. *Tertiæ* sunt *Rochabilarienses*, inventæ à *Torrino* Medico, nondum ab alio descriptæ, agunt ignaviùs qvàm cæteræ; nec tam calidæ, qvàm tepidæ deprehenduntur; vehunt sulphur, bitumen, vitriolum, avrum. Reperiuntur in Alpium marinarum avstrinis, ad radices montium in Comitatu Niciensi. *Qvartæ* vocantur *Aqvæ statiellæ*, qvæ omnium potentissimæ, op-

pidò sulphureæ, eoq; potari neqveunt; has offert ager Ferrariensis, qvà paret Duci Mantuano, percensuit etiam *Gallina.* Discriminis necessarii causâ Alpes has maritimas nuncupant, qvæ incipiunt ad Nizzam urbem mari mediterraneo imminentem & in Vesulo, toties apud antiqvos celebrato terminantur. A Vesulo ad *Rochemelon* prope Segusium, hodie *Susa*, extenduntur *Alpes Cossiæ*, aliis Cottiæ. A Rochemelon, editissimâ rupe, ad Avgustam Prætoriam & Hipparedium, hodie *Ivré* oppidulum (cui vicina est fodina Magnesiæ Pedemontanæ tantopere ob colorem purpureum, qvem etiam vitris imprimit, ab exteris qvæsitæ) porriguntur *Alpes Grajæ*, sic dictæ, qvòd olim Herculem Grajum transmiserint. Inde seqvuntur *Penninæ* Alpes, nonnullis Pœninæ, qvippe credunt Pœnum Hannibalem istac cum exercitu transiisse, cùm Italiæ se infunderet; veriùs tamen à pinnis nomen sortitæ sunt, ut editissimæ, & in pinnarum morem hinc inde fastigiatæ; neq; etiam Hannibal istac transiit, ut alii satis ostenderunt. Penninas excipiunt *Rheticæ*, & has *Noricæ*, atq; Noricas *Juliæ* in Carinthiâ.

LXXIX.

Cartilaginis ensiformis incurvatio periculosa.
Ol. Borrichii.

TEr mihi spectatus ille affectus, & semper in fæminis, qvanqvam etiam maribus accidere nullum dubium sit. Queruntur de dolore loci, de interceptione anhelitûs, de metu deliqvii, nec, si incurvatio gravis est, commodè ducunt spiritum, nisi capite tantillum resupinato. Causa symptomatum havd dubiè in vicinitate oris ventriculi re-

rejicienda, qvod cùm nervulis suis perreptetur, adeoq; oppidò deprehendatur sensile, non fert nimiam cartilaginis adeo duræ propinqvitatem. In macilentis incurvatio illa digitis qvodammodo percipi potest, in obesioribus non item; hinc & obesiores graviùs laborant, pingvedine simul cartilaginem versus interiora premente, qvod in Catharinâ Waltheriâ mihi observatum. Malum est plerumq; chronicum, nec semper æqvè affligit, sed ex infestat acriùs, præsertim post usum eorum, qvæ flatus generant. Profuere in hoc casu emetica, pulvis cephalicus Cratonis, ut nervis amicus, inunctiones ex oleo castorei, & præcipuè emplastrum diasulphuris Rulandi. Profuit & resupinare cum capite brachia. Evasere omnes Libitinam, sed Waltheria tardiùs, ut obesior, & in deliqvia pronior. Nec minùs affligit nonnullos ossis coccygis incurvatio, sedentibus præsertim incommoda, qvæ si inveterata jam callum contraxit, mitigari potest, tolli non potest, sed ægro commoritur, ut in amico, post varia remedia, mihi observatum.

LXXX.

Moxa vix plus præstat in malo podagrico, qvàm alia Vesicatoria.

Ol. Borrichii.

POstqvam scriptum illud notissimum de Moxæ viribus in publicum prodiisset, libuit, me svasore, *Clavdio Lundio*, Poetæ vernaculo insigni, sed doloribus & nodis podagricis fracto, qvamvis nondum qvadragenario, vires ejus in uno, alteróve digito manûs periclitari. Commodùm enim ex Belgio reversus *Ampliss. Mönichenius* noster *moxam*

moxam & bacillos necessarios subministraverat. Quid multa? admovetur ex disciplinâ ustio, fit eschara levis, exsudat serum, sine ullo evidenti solatio; neq; etiam minùs ex eo tempore afflictus fuit ille digitus, qvàm cæteri à Moxâ intacti. Tentavit & curam *Löfelii* per transplantationem, sed frustra. Svaseram usum lactis ex more Gallorum, & hodie aliorum, de qvo convenienter Clar. *Sorbaitius*, sed ingressus curam, amore vini, non diu continuavit. Invenit solatium in sale volatili cornu rhinocerotis interiùs, exteriùs in oleo ejusdem fœtido, sed propter diætæ vitia non satis diuturnum. Hodie, ut avdio, Othiniæ se permisit curæ Norwegi cujusdam agyrtæ, qvi, novo more, scalpello per intervalla omnes propemodum in artubus ejus venas minutiores incidit, cum manifesto ægri solatio, an diu profuturo, ab eventu discemus, nondum enim pervenit illa medicandi ratio ad usq; suos umbilicos. Sed ad Moxam! qvantum nobis hactenus constat, vix ultra solennem vesicatoriorum efficaciam hac parte apud nos assurgit: an humores hic crassiores qvàm in Indiâ interpellant? an in nodosâ parum efficit, multum in recenti & serosâ tantùm, aliis experiundum committitur. In *Lundio* avtem nostro illud singulare, qvòd flagrante in geniculis digitorum dolore lac exstillaret satis copiosum ex apertis scalpello tumoribus, lac, inqvam, colore & consistentiâ, sed post brevem qvietem in calcem & serum fatiscens.

LXXXI.

De generatione lapidum in macro & mirocosmo.

Ol. Borrichii.

I. NIhil certius, qvàm generari hodieq; tum in subterra-

raneis cryptis, tum in corporibus animalium, varii generis lapides, nihil propemodum incertius hactenus, qvàm qvo modo generentur. Nec enim hîc consentiunt Naturæ Consulti, ita alii materiam lapidum agnoscunt terram, alii certi generis aqvam, nonnulli fumum subtilem terreum, qvidam mistum fumo vaporem, sunt qvi succum lapidificum, sunt qvi partes materiæ ramosas, sunt qvi læves & glabras comminiscuntur. Efficiens aliis calor est, aliis frigus, aliis sal, qvibusdam spiritus (qvem vocant, non explicant) lapidificus, nonnullis forma qvædam substantialis (sed & illa inenodabilis) qvæ sibi ex aptâ materiâ domicilium conveniens fabricetur. Mihi, cui nec refellere aliorum opiniones libet, nec sine experimentis admittere, simpliciùs videtur procedere natura, qvàm vulgò creditur, atq; ex solâ vulgatissimi usûs aqvâ, in regno suo jam constituto lapides producere, cumq; in generatione illâ fortuitis sæpe occursibus succi terrestres, & mineralia permisceantur, hinc colorata marmora & gemmarum illa varietas enasci. Quòd si qvis Naturæ nomen, ut vagi sensûs abhorreat, dicam, solam duntaxat aqvam materiam esse lapidum. Efficientis avtem titulum vendicare sibi videtur arctior illa particularum aqvæ qvies in locis tranqvillioribus, in qvibus illæ cùm mutuis sibi sensim occurrant faciebus, nec turbentur ab externo aëre, sed potiùs leni pressu elateris ejus firmentur, propter similitudinem facilè cohærent.

2. Atq; ut à materiâ lapidum ducantur exordia, non utar Thaletis, aliorumq; summorum Philosophorum avctoritate, non advocabo Homeri testimonium, sed ab ipsis sanis sensibus, & clarissimis experimentis avspicabor. Vix est in totâ *Evropâ* (ut alias nunc mittam terræ partes) montosa regio, qvæ antrum non ostendat jam nativum,

jam manu excavatum, in qvo aqva pura, communis, insul-sa per poros, rimasq; terræ destillans sponte in lapidem aliqvâ sui parte coagulatur; partimq; in stirias variæ magnitudinis densata è fornice specûs dependet, partim in fundo concreta massas diversæ molis & figuræ illapsu suo effingit. Ipse ego similes cryptas duas in Angliâ, in Galliis duas, in Alpibus & Italiâ plures attentè inspexi; nec inspexisse contentus, qvantum licuit, pressiùs expendi. In Angliâ ergo ad Bathonium oppidum, thermis Bladudianis celebre, in monte vicino spelunca se aperit, ab incolis loci ad saxa ædificiorum excavata, in qvâ aqva pedetentim defluens in marmor subflavum concreta cernitur. Magnificentior Ukisiana illa ad urbem Wellis caverna, sed & horridior, & qvantum videre licet, nativa, in qvâ parietes alibi qvasi mille adamantibus distincti resplendent, alibi vastæ molis stiriæ saxeæ, allapsu guttarum aqvearum qvotidiano grandescunt, & si avferantur, brevi novâ sobole repullulant. Fundum avtem spelæi asperant ingentes massæ lapidis albi, à destillantibus guttis formatæ, qvæ & indies sua capiunt incrementa. In Galliis infiniti juxta mecum conspexere similem ad urbem Turonium cavernam, non illam tamen nativam, sed vetustam latumiam, ex qvâ saxa olim ad ædem sacram D. Martini honori exstruendam transportata. Sed verò Turoniensem cryptam superat varietate tum Gorgonea illa Ukisiana officina, tum Gallica altera Sinonensis, ab oppidulo Richelieu non ita procul remota, ubi in manu excavatis elegantissimis porticibus aqva simplicissima sensim depluens non in stirias modò vertitur saxeas, hyeme qvidem breviores, ob internum tum montis teporem, æstate ferventissimâ longiores, ob interiorum frigus, sive motum langvidiorem, sed & guttæ in fundum cryptæ destillantes in massulas abeunt

pisis,

pisis, amygdalis, piperi longo; aliisq; tragematis externâ facie persimiles. Nec ab his abludunt Italicæ illæ, tum Pisas inter & Lucam in montanis conspectæ, tum notissimæ Tiburtinæ, unde bellaria illa saxea, incolis *confetti da Tivoli* appellata, qvæ tum in Pisanâ porticu horto Medico incumbente, tum Romæ & Tibure magnâ varietate oculos pascunt. Non attingo Baumanni cryptam in Germaniâ, non alias passim curiosis observatas.

3. Hîc non dubito futuros, qvi prætexant ejusmodi cryptarum aqvas vehere vel fumos saxeos, vel succos indurantes, vel salium compingentium multitudinem; nec is sum, qvi negem sive salium, sive vitrioli, sive alia atq; alia ramenta aliqvando in Deucalionéa illâ metamorphosi fortuitò adesse, sed in hoc duntaxat persisto, ad ordinarias materiæ lapidescentis leges talia non reqviri, adeoq; parum decorum Philosopho, supervacua fingere, cùm solâ communi aqvâ (qvæ tàmen non omni sale caret) in angustiis viarum qviescente totum negotium absolvi posse res ipsa qvotidie loqvatur. Explorata enim omnibus sensibus aqva cryptarum fontanæ simillima deprehenditur, nil evidenter salinum lingvæ offert, nil coloratum oculo, nil asperum tactui, nil sulphureum nari, nil, ultra solenne, strepcrum avribus. Nec post dissipatum vi caloris humorem invenitur sedimentum aliud, qvàm qvod aliæ dulces aqvæ post se relinqvunt. His accedit potentissimum argumentum, qvòd in Ukisiano antro qvicqvid aqvæ ob moræ brevitatem in lapidem non solidatur, dum è rupe eluctatur, rivulum formet, unde hominibus & bestiis subjecti pagi ministratur qvotidiana potio, sine ullâ de calculo inde nato qverelâ, id qvod asseverantiùs fassi sunt loci incolæ. Similia de Sinonensi cryptâ confirmavere oppidani. Est avtem Sinon, sive, ut incolæ asperant, *Chinon*, op-

oppidulum qvidem minutum, sed clarum natalibus *Rabelæsii*, hominis ingeniosissimè vani, clarū adventu Amazonis illius Avrelianensis, qvæ ibi primùm Regem desperationi proximum, & ab Anglis toties fusum in spem novam erexit, non infelici successu. Hujus ergo cryptæ aqva in subjectam urbem qvotidie defluit, solidatisq; in qvieto antro bellariis suis, potum cætera civibus innoxium largitur. Atq; ut inexpugnabilior hæc sententia judicetur, aqvas dabimus lapidescentes, qvas nemo, opinor, mortalium existimabit vel saxeo, vel salino, vel lapidifico principio turgere. Tales sunt aqvæ pluviæ ordinariæ, qvæ in vetustos fornices templorum, pontium, portarum delapsæ, & tenuissimas laterculorum inter & calcis intervalla rimulas offendentes, se insinuant, tardeq; proserpentes in interiori tandem fornicis tholo qvietem à ventis frementibus inoffensam nactæ, successu temporis guttatim concrescunt, & in stirias saxeas addensantur. Tales læto proventu vidi dependere ex artificiali porticu lateritiâ palatio Episcopi vicinâ Lugduni ad Araris & Rhodani confluentem, manibusq; his avulsas reservo: tales inspexi in portâ Mommeliani in Sabavdiâ castelli, tales in vetustis qvibusdam Galliæ templis, tales in ruderibus agri Romani. Quis enim ullâ veri specie arbitrabitur vel in pluviâ aqvâ (neq; enim huc faciunt pluviæ lapideæ) Gorgoneos circumferri succos, vel eosdem in lateritio muro multis ignibus perusto delitescere.

4. Restat credere, qvamvis aqvam, dummodo, postqvam per angusta eluctata est, imperturbatâ ab aëre qviete fruatur, posse, immò solere in lapidem converti, eâ scilicet parte, qvæ à pondere succedentium guttularum loco suo non excutitur. Sed ut qvietis illius effectus clariùs subjiciatur oculis, ita phænomenon concipio: Aqva in angu-

guftis montium, terrarumq; rimis difcurrens proprio pondere (vel, fi mavis, ab elatere aëris leviter prefla) vergit deorfum, & qvâ patet via, defcendit, atq; id qvidem, fi via anguftior eft, guttatim. Hæ guttulæ, nifi citiùs, qvàm convenit, ab aliis fuccedentibus, avt loci calore interpellentur, æqvales illas, lævesq; facies fuas leni aëris appulfu arctiùs fibi conjũgunt, mutuisq; amplexibus coalefcunt, & è ftatu fluido in firmum facilè vertuntur, more ferè ftiriarum glacialium, nifi qvòd glaciales ob fubitam, violentamq; congelationem pavcioribus cohæreant punctis, eoq; citiùs iterum diffolvantur. Neq; hîc gluten aliqvod fingendum, qvo partes coalefcant, cùm omni glutine fortiùs fibi adhærefcant partes æqvales, lævesq;, qvoties fibi duntaxat applicantur, juxta illud Hippocratis l. de diætâ, Concors concordi adhærefcit, & antiqvorum illud: ὅμοιον ὁμοίῳ ἀεὶ πελάζει. Ita duo plana adamantum, chalybis, vitri, eboris, ebeni, fi accuratiffimè lævigata funt, prævia folâ applicatione facierum cohærent tenaciffimè, de qvo plurima exftant experimenta *Boyléi*, *Gerichii*, aliorum. Affervantur in arce Regiâ Hafnienfi duo plana ahenea diametri pedum circiter qvatuor, à *Gyntelbergio* non ita pridem ftudiofè polita, qvæ fi fibi convenienter apponantur, in directum trahendo vix à qvatuor lacertofis diftrahentur bajulis. Nec id tantùm in planis fuccedit, fed & fi concavis politis polita applicentur convexa, de qvo eruditè illuftris *Boyleus*. Efto, hæreant plana firmiùs, fi inungantur vel vini fpiritu, vel oleo amygdalarum vel qvocunq; tandem liqvore, illa tamen afcititia tenacitas non aliunde pendet, qvàm qvod, cùm plana illa nondum fint plana abfolutè, liqvor hic inania adhuc inter utrumq; planum fpatia impleat, adeoq; fuperficies reddat planiores. Nam effe in politiffimo licet marmore ad-

huc pæne infinitas cavitates minutas, qvas politura neqveat æqvales reddere, argumento fuerit, non tantùm pulvis ipse, cujus beneficio expolitur, ut adhuc plurimis inhorrescens angulis, qvemadmodum evidenter docent smicroscopia, sed & marmor jam planissimum ejusmodi perspicillo inspectum. Ostendit & illud vel musca, qvæ per latera inclinati deorsum marmoris etiam planissimi facillimè descendit, lapsura in præceps, nisi ope hamulorum, qvibus cruscula ejus armantur, in rimulis ejusdē sustineret gressum. Hæc omnia eò tendunt, ut monstrent particulas aqvæ, ut è fluido statu in firmum demigrent, non egere peregrinis additamentis vel salium, vel succorum indurantium, sed in propriis suis corpusculis qvietè sibi occurrentibus acqviescere, immò qvò plus heterogeneorum adfuerit, hoc minùs firmiter sibi agglutinari. Et sola hæc ratio mihi videtur esse, qvòd adamantes firmioribus sibi adhærescant juncturis, qvàm gemmæ coloratæ; qvippe in cæteris gemmis solidissimam illam per minima conjunctionem impediunt heterogenei colores, at in adamante germanissimo nihil, ut in qvo facies faciebus æqvalissimè respondent. Fingat autem aliqvis particulas aqvæ vel angvillarum more incurvescentes, vel alterius figuræ, non adversabor, dum constet, qvod evidens est, superficies earundem facilè sociari, adeoq; necessariò ad planum accedere. Quoties hæc plana lineis ubiq; rectis cōeunt, pellucet lapis; qvoties obliqvis, obscuratur; qvoties variat pororum amplitudo, variat qvoq; pondus, qvod & ipsum ab admistis mineralibus sæpe variatur.

5. Nec desperaverim, posse industrium naturæ mystam in cryptâ à se convenienter fabricatâ aqvam in lapidem vertere. Nec illa de procurando ibidem perpetuo aqvæ stillicidio difficultas inexpugnabilis erit. Vocari enim

enim in usum possunt Sardoa illa saxa, qvæ Genuæ visuntur plurima, bibula, & cribris angustissimis similia, ex qvibus mortaria formantur percolandæ aqvæ opportuna. Quale qvidem Hafniæ mihi spectatum in ædibus illustriss. Comitis de Rebolledo, legati Hispanici, qvi cùm podagricis vexatus doloribus vinum aversaretur, lympham, qvam potabat, priùs sollicitè per mortarium illud solebat colando transmittere, ut in alveo coli hærerent fæces, limpidissima autem aqva transiret. Itaq; infusa saxeo huic colo lympha vespertino tempore, horâ decimâ antemeridianâ postridie jam clarissima guttatim transierat. Quod si vel ita citiùs permeet, qvàm negotio opportunum, remedium facile erit fundi crassitudo major. Sed ista Curiosis. Obduces, destillare in variis cryptis lymphas, nec tamen ideo in saxum induresсere. His ut non repugno, qvòd in celebri illâ & spatiosâ, qvæ Trajecto ad Mosam imminet, cryptà viderim ejusmodi stillicidia in solam aqvam terminari, ita adjicio, obstare alicubi moram densandis particulis necessariam, alicubi fumos subterraneos applicationem facierum mutuam turbantes, alicubi laxitatem speluncæ, alicubi etiam ostium utrinq; patens, atq; adeo nimis obvium perflatibus, sæpe tellurem cavo incumbentem justo laxioribus esse poris, qvàm ut lapsantibus guttis permittat interqviescere. Nec est, qvòd obturbent exempla in speciem contraria, qvæ docere videntur aqvâ primùm omni recedente fieri rerũ indurationes, ut in argillâ ostij fluminis Amazonij, qvæ sub aqvis mollissima, si aëri exponatur, in siliceam, ex *Pellepratio*, vertitur duritiem; item corallia Brasiliana, de qvibus *Piso & Marcgravius*, qvæ sub undis mollia, in aëre mox obrigescunt. Eqvidem si his exemplis debetur fides (nam aliud Corallis in mari Massiliensi contingere certum est) nihil inde

ex-

exſculpitur aliud, qvàm alia etiam corpora ex aqvâ magnam partem nata æqvalium eſſe facierum, eoq; fluctuum motu non ampliùs interpellante, cùm ſibi relinqvuntur, faciliùs coire,& more particularum aqvæ indurari.

6. Cæterùm cùm lapides & inter nubila generentur, ubi perpetua inqvies, cùm in qvavis pæne humani corporis parte, ubi continua humorũ, vaporumq; diſcurſatio, cùm in ſummis rupium faſtigiis, ubi tot fulminum, nimborumq; tumultus, in eam nonnulli fortaſſe deſcendent ſententiam, calorem & qvietem in producendis lapidibus partiri operas, & utcunq; genio diffideant, in hoc tamen negotio vices alternare. Nec iſta priorem ſententiam evertunt; calor enim, more ſuo, diſſipat, diſcerpit,& motu concitato angulos corporũm minutiorum figurat aliter,& ſæpe ex accidenti, qvod dicitur, complanat; indurare avtem in ſaxa propriè nihil poteſt: verùm qvoties contingit partes materiæ à calore reddi planiores, toties, ubi ille fecit officium, ſuperveniens qvies indurat, & in lapidis naturam cogit. Notavi ad calorem ſpeculi cavſtici *Vilettii*, qvod in arce Regiâ hîc aſſervatur, oſſa bubula è veſtigio in lapidem vitrei generis obſcuri faceſſere, ſed verò, qvamdiu ſpeculum ſuos ejaculabatur radios, nondum lapis erant, ſed tandem radiis qvieſcentibus. Ideo avtem calor non ſemper hîc neceſſarius eſt, qvia ſi planæ jam ſuâ naturâ ſunt particulæ, ſponte per qvietem, avt certè motum leniſſimum coaleſcunt, qvod aqvæ ſolet accidere. Quæ ergo ſaxa ex nubibus præcipitantur (qvale Mediolani mihi oſtendit illuſtris *Septalius*, erutum, ſe præſente, è coxâ Capucini ad altare fulmine icti) havd aliter ferè generantur qvàm in cryptis ſubterraneis. Illud tantùm intercedit diſcrimen, qvòd in cryptis partes denſandæ jam tum planæ ſint, in nubibus avtem tandem planæ

cva-

evadant, ab incidente violentiùs fulmineo calore. Neq; verò desunt in nubibus præter aqveas, particulæ sulphureæ, salsæ, immò terreæ, qvæ à calore subitò complanari possunt, cùm qvævis aqva pluvia, si evaporet, eas oculis subjiciat. Sed & eadem sine his solidatur, si relinqvatur sibi. Omnis enim aqva communis stillatitia pavlatim abit in bracteas terreas subtilissimas, lucidissimas, qvod alibi demonstravi. Veniamus nunc ad lapides in humano corpore genitos! Utcunq; ibi varii discurrunt humores, vaporesq; calidi, istic tamen etiam à qviete, obstructionum illâ & podagræ & calculi matre solidantur. Neq; verò absoluta qvies ad lapidum generationem reqviritur, ut qvæ nec adest in cryptis subterraneis, sed moderatior, & minùs interpellata. Et qvidem qvod ad renes; qvoties serum ab arteriolis eorundem per tubulos sibi convenientes, adjuvante tum diaphragmatis motu, tum proprio pondere, & impresso jam ante à micantibus arteriis impetu, eluctatur in pelvim, aliqvando pars tubulorum strictior est, qvàm ut destillatio seri opportunè fiat, sæpius avtem locis aliqvot strictior est interior illa pelvis tunica, ureterum alveo interno communis; ideoq; dum qvies & pavsa hìc præter naturam in transeundo per angustias sero præsertim pituitoso conceditur, necesse est particulas ejus qvasdam sibi agglutinari, & sensim capere incrementa, eo propemodum modo, qvo lympha in subterraneis cryptis, avt, si mavis, ut urina ad latera matularum qviescens, avt deniq; ut humores oris ad dentium radices impingentes, ibiq; per qvietem, maximè nocturnam, in tartarum durum coagulati. Neq; mihi qvidem aliud est hæreditaria ad calculum renum dispositio, qvàm vasorum aliqvot in renibus angustia nimia, à parentibus in liberos qvosdam subinde propagata. Sed cùm humores in omnibus prope-

modum humani corporis partibus variis de cavsis in præternaturalem nonnunqvam demigrent qvietem, non mirum est pænè ubiq; calculos subinde deprehendi. *Cl. Sylvius* inventis in glandulâ pineali calculis, ut certè me præsente, reperit freqventer, jocari solebat, convenire eos animæ Cartesianæ, ut illa his insidens tanqvam è throno marmoreo partibus subjectis jus diceret. Erat enim Cartesii asseclis infensior. Quod ad calculum vesicæ, istuc cum *Fernelio* propendeo, vix ullum esse vesicæ calculum, qvi non rudimenta arcessat à renibus, qvæ utcunq; initio minuta, per somnos & sedentariam vitam, perq; diætam crassiorem facile ingrandescûnt, more pilæ, qvæ in nivibus humidioribus diu volutata in formidandam pueris molem exsurgit.

7. Sed qvid fiet saxis in summis rupium jugis? qvid iisdem per telluris faciem variè sparsis? Eqvidem illud primùm in ambiguo est, an Alpium, Pyrenæorum, &c. cacumina post orbem conditum saxea fuerint, atq; adeo in ipsâ induruerint rerum creatione. Fac tamen induruisse postea, qvid verò similius, qvàm summum tum (ut est hodieq; non pavcis in locis) eorundem corticem terreum extitisse, per qvem colatæ sensim nivales, pluviæq; aqvæ, ut in cryptis, invitante loci qviete, in saxa abierint? Et hos cortices jam terræ motus, jam moles incumbentium nivium, jam aliæ cavsæ potuerunt ex eo tempore sedibus suis excussisse. Lapides avtem per agros, pascua, sylvas disseminatos qvis demonstraverit, non ab initio rerum terrâ itidem obtectos fuisse, & supervenientibus pluviis, ventis, terræ motibus, inundationibus, avt ipso deniq; universali diluvio nudatos? Profectò sub Dio natos esse nullum hactenus indicium est, utcunq; concesseris potuisse forsan sub Dio, ex allapsu qvieto pluviarum capere nonnihil

hil incrementi. Sed cùm tellus initiò mundi, divino spiritu velut fermentata laxior hinc inde, & cavitatibus distinctior fuerit, si conjecturæ nostræ locus, in eas se pavlatim ingessere destillantes aqvæ, ibiq; longâ qvie te sensim obriguerunt. Qvin & lapides in alveis fluminum hodie conspicuos primordio rerum sub terreo qvodam operculo natos fuisse verisimile est, qvod in discursantibus perpetuò & sine obstaculo lymphis satis apta generationi qvies vix qveat inveniri. Hæc de ordinaria lapidescentium lege dicta sunto. Cùm avtem partim ex Museis Curiosorum, partim ex historiis, partim deniq; ex fontium qvorundam, fluviorumq; inspectione doceamur jam integros homines, jam vaccas, pullos volucrum, viperas, pisces, ligna, chirothecas, nidos avium, alia, in saxa diriguisse, idq; in patente qvandoq; aëre, non rarò in aqvis, subinde qvoq; in tellure, de iis ita, opinor, sentiendum; volitare sæpe in aëre, sæpe in aqvis, aliqvando & in terris fumos qvosdam saxeos æqvalium facierum, qvi ubi satis copiosè inciderint in obvium corpus, poros ejus farcire, & lapideam ei duritiem inducere. Atq; ut potentiùs, rem ita se habere, persvadear, efficiunt non tantùm sitientia Africæ, & regionum aliarum sicciorum, qvæ cùm harenarum suarum moles tot jam seculis hinc inde jactaverint, fieri non potest, qvin plures earum particulæ minutiores tam longo attritu læves, atq; æqvalium evaserint facierum, adeoq; faciliùs insederint meatibus obviorum quorumcunq; ; & hodieq; insidere possint; sed & pulmones latomorum, qui postquam in cædendis saxis aliqvandiu occupati fuerint, tantum sensim fumi illius saxei per anhelitum recipiunt, ut in bronchiis suis à morte veros lapides nonnunqvam ostendant, de qvo exempla apud *Schenckium* prostant & alios. Hæc ramenta saxis excussa cùm maximam

partem,ut rationi consonum, inæqvalium sint superficierum,sive,ut loqvuntur, irregularia, non mirùm est plures pulmonum in lapicædinis,ab iisdem vulnerari, qvàm solidum corpus in se recipere; qvoties avtem, nimis aperto laryngis operculo,æqvaliora subeunt pulmones ramenta, eodem propemodum modo in lapides ibi sòlidantur,qvo in libero aëre cætera , qvæ lapidescunt. Similes fumi lapidum, harenarumq; cùm à ventis huc illuc spargantur, necesse est eosdem qvandoq; & in aqvas incidere, & his comitibus in telluris gremium non nunqvam penetrare, unde & his elementis suæ sunt peculiares qvandoq; indurandi potestates. Quia avtem fontes nonnulli perpetuò has custodiunt leges, credibile fuerit vel in eorum viciniâ adesse harenas ejusmodi minutissimas, qvæ novum aqvis ministrent pabulum, vel à subterraneis ignibus qvasdam saxorum atomos leviores perpetuò versus terræ corticem propelli, & in fontium horum origines terminari. Illud fortasse non ab re fuerit adjecisse, in Muséis sæpe etiam ostendi ea in saxum indurata, qvæ perpetuò saxa fuere. Vidi in nobili pinacothecâ fragmenta qvædam asserum imaginariorum,qvæ præmonstrator sine omni hæsitatione ex ductib9 venarum judicabat ex ligneis in saxea migrâsse, qvales tamen ductus in Alpibus jā antè conspexeram esse saxeos, immò totas rupes similibus ductibus, undulisq; constantes. Destinaveram hæc pluribus perseqvi, sed qvia in Actis his agendum pressiùs, nec ab experimentis longiùs secedendum, satis erit indice digito mentem hìc signâsse; interea qvi optimè conjecerit, optimus vates censetor.

LXXXII. De

LXXXII

De aliis è statu volatili in fixum translatis.

Ol. Borrichii.

QVæ hactenus de aqvæ in lapides mutatione disputata sunt, non cò tendunt, ut persvadeant non dari alios indurandi modos in rerum Naturâ, sed ut innuant non reqviri succos peculiares, spiritusvé lapidificos, avt salia condensantia ad generationem lapidum; qvanqvam enim inter indurandum ingerant se subinde varia oleosa, lenta, salsa, sæpe tamen sine eorum ministerio negotium absolvitur, & qvò eorum plura adhærescunt, eo plerunq; minùs tenax consolidatio est. Alioqvin qvemadmodum aqvæ particulæ æqvales in locis opportunis facilè in solidum corpus abeunt, ita & omnia propemodum fugacia, etiam partium inæqvalissimarũ sistuntur, indurantirq;, ubi mutuo attritu ramos, angulosq; suos nimium exstantes perdiderint, adeoq; more particularum aqvearum facies faciebus associârint. Id qvod multiplex me docuit experientia; ex qvo penu nunc seqventia depromuntur: Rec. olei camphoræ & olei vitrioli ana, qv. placet, misce, & per retortum vas vitreum alacri igne propelle, ut omne, qvod exsudare potest, transeat in excipulum: reliqvias in fundo nigrantes igni violento admove, deprehendes constantissimas, utcunq; ante pavcas horas fugacissimæ exstiterint. *Secundò*, cape oleum qvodvis stillatitium, destillet iterum calore pavllo vehementiori, & in fundo partem ejus jam fixam, omnibusq; ignibus diu invictam offendes, de qvo pluribus in *Tractatu* de opio. *Tertiò*, dissolvatur in in aceto stillatitio plumbum, & post moram aliqvot dierum evocetur iterum acetum illud per balneum Mariæ;

qvod cùm ascensu illo satis tum prodat se volatilium esse partium, relinqvatur sibi æstivis aliqvot mensibus in vitro capaciori, non nimis strictè obturato, concrescet in superficie ejus cutis spissior, ad ignem primùm inflammabilis, mox in pulvisculum fixum, constantemq; desinens. *Qvartò*, sal armoniacus inter fugacissima meritò corpora numeratur, nec minùs fugit arsenicum ad præsentiam flammarum, jungantur tamen hæc duo sollicitè, & qvemadmodum vocant, sublimentur, & multum cineris fixi in vase post se relinqvent. *Qvintò*, Nitrum sulphuri incoctum magnâ sui parte vertitur in insipidum, ignesq; contemnentem tophum, id qvod & qvondam *Plinio* observatum est. *Sexto*, sal esculentus (qvi & ipse facilè in spiritum attollitur) ad *Aigvemorte* in Galliis ita sensim spicula sua amittit ad solem æstivum, æqvaliumq; evadit facierum, ut cortices ejus in metis salinis more saxi indurescant, & nullâ pòst aqvâ dissolvantur, maximâ eqvidem sui parte, qvod præsens observavi. *Obduces*, Cur ergo sulphur argento argento vivo permistum, dum simul gradiuntur in sublime, nihil adeo argenti vivi solidatum in vase ostendit? Quia robustiores sunt anguli Mercurij, qvàm ut à fumis inconvenientis sibi sulphuris loco statim moveantur, complanentúrve.

LXXXIII.

Adamantes lapidibus aliis innati.

Ol. Borrichii.

QVæ de fodinis adamantum curiosi peregrinatores, ut oculati testes recensent, suas lavdes merentur, nec tamen supervacuum fuerit, opinor, significare, non videri ab-

absonum, adamantes qvocunq; ferè loco nasci posse, si aqva, unde maximam partem, avt fortasse toti constant, omnium fuerit subtilissima, æqvalissima, qvietissima. Certè cùm in Glocestriæ & Bristolij vicinis, itidem variis in Galliâ locis silices nigrantes frangerem, aliud in iis, ex Glavberianâ hæresi, inqvirens, sæpe in eorundem meditullio, tanqvam in cryptâ, adamantes minutulos pulcherrimos, & qvidem plures sibi junctos conspexi, exqvisitis & angulis & apicibus notabiles. Crederem fuisse crystallos, nisi tum nitor illustrior, tum & matricis durities obstarent. De eorum enim duritie propriâ nihil adeo definire licuit, propter impedimenta itineris, & exilitatem corpusculorum. Verisimile fuerit corpus hoc silicis, cùm adhuc in suis primordiis humidius lateret, præter crassiores illas, qvibus constat, partes, subtiliores etiam nonnullas, easq; simpliciùs aqveas complexu suo fovisse, qvæ placidâ in hoc sinu qviete mutuis tandem cöierunt vultibus, & in adamantes conversæ sint. Utrum avtem angulos illos formârit exiguissima præsentis nitri portio, an proprium sit aqvæ, cùm sibi qvietissimè, nullo prorsus heterogeneo immixto, relinqvitur, ita terminari, in medio hîc relinqvo, ad ultimam tamen sententiam pronior, qvòd crystalli eodem modo angulos suos colligant, nec tamen nitrosum vehant salem, sed alium exiguâ copiâ acrem, & cubicum, de qvo in *Hermet. Sapient.* fusiùs. Et cur hexagonum naturale sit nitro, & adamanti, atq; crystallo nequeat esse naturale? Inclusa talibus cryptis æqvalissimarum particularum aqva non videtur vel in adamantes, vel crystallos abire, nisi indurationis primordio spiraculum aliqvod per udos adhuc parietes subeunti aëri lenissimo pateat, qvod absolutâ congelatione clavdatúrne, an apertum maneat, parum interest. Ideo avtem reqviri tantillum-

lum aëris putârim, ut ipsius elatere premente (neq; enim solæ primi elementi particulæ sufficiunt, ut rem intuenti evidens est) mobiles adhuc aqvæ particulæ sibi apponantur; qvemadmodum duo plana alia, etsi sibi vicina, nisi appresseris leniter, non cohærent validè. Ut hæc suspicarer, induxit me nobilis pinacotheca *Septaliana*, in qvâ visa mihi Achates, in cujus gremio adhuc volvebantur aliqvot guttæ aqvæ clarissimæ, sursum, deorsumq; mobiles, ideo, opinor, nondum compactæ, qvòd cortex gemmæ ab omni parte clavsus fuerit citiùs, qvàm interiora ab intromisso aëre sibi apprimerentur. Similis ibidem visa crystallus, in cujus meditullio lympha purissima oberrabat. Verùm non tantùm in silicibus notati mihi adamantes, sed & à *Bapt. Fregoso* in medio incisi marmoris, & à me deniq; in sinu nativæ crystalli leviter nigricantis, apud humanissimum sacerdotem *Corvinum* Romæ, qvorum duritiem licet experiri non contigerit, firmiorem tamen fuisse qvàm crystalli matris ideo conjicio, qvòd elegantiâ & radiorum projectione genitricem vincerent. De duritie etiam adamantinâ fidem faciebat optimus senex. Sic non raro Indi in saxis durissimis gemmas reperiunt. Non dubito futuros, qvi arbitrabuntur adamantem & crystallum esse diversas mundi species, eoq; formis specificis (& qvæ alia cumulari possunt) distingvi, nec se invicem progenerare; sed iidem qvando demonstrabunt inter has duas species aliud esse discrimen qvàm solius puritatis? qvæ sola videtur nitoris & duritiei origo. Ipsi gemmarij totâ pæne vitâ his sacris innutriti hærent sæpe, ambiguntq;, ad qvam speciem oblata gemma aliqva referri debeat, præsertim in genere coloratarum, ita ludit ibi variè non tantùm mundities, sed & admistorũ diversitas. Coronidis loco adjiciendum, creditum omnibus seculis, ada-

adamantem esse ignibus indomitum, sed hac tempestate observatum, non qvidem liqvari dimidiâ horâ adamantem ad specula cavstica validiora, qvale est illud apud nos Vilettii, sed tamen splendorem suum amittere, & obscuris qvibusdam nebulis violaceis inumbrari, usq; adeò generalis rerum domitor Vulcanus est.

LXXXIV.

Qvid ad historiam Naturalem spectans observatum sit in itinere Galliæ interioris.

Ol. Borrichii.

IN montanis Lugdunum inter & Gratianopolin per castanearum & juglandium sylvas visæ sparsim sponte nascentes, digitalis albo flore alibi, alibi phœniceo punctis distincto, alibi in summo juglandium arborum fastigio ingentes fungi, qvos suis non destitui viribus crediderim. Porci isthic omnes nigri, etiam porcelli; pueri avtem pleriq; capillitio albo, prorsus ut Dani, sed & hoc alibi in montanis solenne, ut in scopulis Trarara, &c. Scrofulæ, sive strumæ hinc inde in utroq; sexu magnitudinis inusitatæ, diceres secundum misellorum caput. Ad urbem Gratianopolin visa subinde & hedera & vitis eandem scandere arborem simul, argumento, non esse inter utramq; speciem eam simultatem, qvam finxere Veteres. In Urbe compertum à Dn. *Boissiev*, Magistro Rationum publicarum in Parlamento, historiam de Gratianopolitanâ fæminâ ex imaginatione puerperâ fabulam esse, sed fabulam ab otiosis qvibusdam ingeniis consutam usq, adeo constanti famâ per Gallias pro verâ jactitatam, ut necesse habuerit Parlamentum publico diplomate se se tueri, & va-

nitatem commenti redarguere. Donavit me autem illustris *Boissiev* libello suo recens edito *de septem* miraculis *naturalibus Delphinatûs*, id est, de *fonte ardente*, de *turri non admittente venena*, de monte inaccesso, de tinis Sassenagiis, de *mannâ Brigantiensi*, deq; *fonte Barbero* &c. in qvib9 illud de *ardente fonte* curiosissimũ: Aqva scilicet ex rupe procurrit, & ipsa frigida, sed sulphure & bitumine leviter imbuta, cujus superficiei si sulphuratum admoveris exstinctum, statim accenditur, ardetq; luculentè. Ardet & admota palea, inprimis cœlo nubibus cooperto. Nec illud omittendum, qvòd fraga Gratianopoli totâ æstate recentissima comedantur, immò à mense Majo ad usq; Novembrem. Ratio à situ oppidi repetenda; qvippe cùm inter montosa jaceat, in clivis humilioribus Majo & Junio maturescunt fraga, in editioribus rupium Julio, Avgusto, Septembri, in editissimis circa Carthusiam, etiam Octobri demum; ita rigidiora in sublimi omnia, & in summis ibi scopulis medio etiam Avgusto nives perpetuæ. Neq; tamen desunt his rupibus suæ plantæ, conspectæ enim mihi, medio Julio, in iisdem versus Monasterium illud grande Carthusianorum, sponte pullulantes, helleborus albus folio tenui, & crenis distincto, gentiana flore luteo, sigilli Salomonis rara species foliorum sex, sed amplissimorum, ligustrum, bugula, berberis, agrifolium, ribes, vesicaria, milium solis, baccæ variæ rubicundæ sibi in uno pediculo adhærentes, sed omnium freqventissimè buxus. Ex rupe qvadam exsudabat liqvor varij coloris argentum nonnihil inavrans, existimârim mineram fuisse Vitrioli. Agni ibi spectati nigerrimi albissimâ cavdâ. Illud avtem concoqvere non potui, qvòd in familiari colloqvio Coadjutor Carthus. Generalis, cætera vir prudens, constanter narrabat, ophryn sive bi-

bifolium postridie diei D. Johannis in iis locis nusqvam apparere, pridie freqventer. In rupe castello Mommeliano imminente observata sub avroram nubes vix pileo amplior, qvæ ante mediam horam ita excrescebat, ut totum pæne hemisphærium involveret, seqvente vento & imbribus. In oppidulo *Aix en Savoy* conspectæ thermæ, aliæ qvidem sulphureæ coloris subcœrulei, qvæ balneis ægrorum deserviunt, aliæ aluminosæ, qvæ potui. In his montanis intellexi primùm illud Divini Maronis: *Tres hymbris radii torti*, cùm enim tonante cœlo coruscarent hinc inde fulmina, visi eorundem radij ter, qvaterq; intorti, curvatiq;, planè qvo modo Jovem passim Romæ videmus dextram fulmine sinuato armantem. Lugduni inter cætera vis speculi Vilettiani notata, de qva alibi, & alii. Inspectus & locus editus, è qvo mente capti in Rhodanum præcipitantur, retrahunturq; identidem fune, eo instituto, ut sapere iterum discant formidine periculi, non pœnitendo successu. Simulq; subiit *Juvenalis* illud Sat. 1.

Palleat, ut nudis pressit qvi calcibus angvem,
Avt Lugdunensem Rhetor dicturus ad aram.

In Rhodanum enim projiciebantur olim, ex instituto Caligulæ, malesvadi Oratores, ut hodie malesani moriones. Observata ibi apud Dn. *Bertet* varia, 1. grana Chermes, si triduum sibi relinqvantur, non assiccata, tota ferè abire in vermes & papiliones. 2. Crystallum nativam albam solidiorem, si in prisma formetur abrasis angulis, iridem non repræsentare, cev vitrum solet, ob densitatem, havd dubiè, meatuum. 3. Qvosdam lapides Bononienses φωσφόρους lucere in tenebris, si tantùm libero aëri, ante solem ortum exponantur, & mox transferantur in locum obscurum. Apud Dn. *de Servier* visa pinacotheca

machinarum, præſertim magnetici generis, omnium hactenus rariſſima, qvam, qvia pluribus aperitur peregrinatoribus, nec præciſè hiſtoriam Naturalem attingit, hic prætereo. In Rhodano ſpectatum inuſitati generis navigium amplum, qvod adverſus rapidiſſimum torrentem felici auſu procedit, rotarum & funis ambulatorij beneficio; inventum ſeculis inauditum, ſed hodie omnium oculis conſpicuum. Non procul Avenione ſpectari e qvi ungulis ſuis frumentum exterentes, ut apud alias nationes, monente *Apoſtolo*, boves. In vicinis urbis Monſpelienſis tellus paſſim ſponte luxuriabat lavendulâ, roremarino, calamentha, thymo, eryngiis, carlinâ, fruticibus chermes, tamariſcis, colocynthide, gramine Auſtriaco plumeo, aliis; littora etiam crithmis marinis, qvatuor ſpeciebus Kaly, inter qvas & ſalicornia aculeata vitriariis Magiſtris expetita, qvæ tamen & hîc in Selandia ad diverſorium *Rundſti* abunde littus conveſtit. Inventus & in littore Magellonam contra aëtites, & lapis variolorum varij generis, (Incolæ *pierre picot* vocant) qvem cùm olim non niſi ex Indis afferri crederent, hodie non in eo tantùm littore, ſed ad fluvium Provinciæ, *la Durance*, reperi. Monſpelij apud Dn. *Roqvetium* ſpectatus phœnicopterus (edulium olim Romano palato acceptiſſimum) murex, unde purpura Antiqvorum, calculus humanus pellucidus, torpedo oculis qvatuor inſignis; ſed inprimis oculos morabatur lacerta viridis qvadrupes & grandis, qvæ in vitro amplo (cujus ori linteum duntaxat tenue inſtratum erat, ut aëri non præcluderetur aditus) jam tum tres menſes ſine alimento oculis conſpicuo exegerat, adhuc viva, alacris, ſplendida, qvæ & more ſerpentum exuvias ſuas depoſuerat, in vitro ſimul ſpectabiles. In oppido Arelate deprehenſum, Medicos ſyru-

pos

pos & decocta febricitantibus concedere non frigida, sed & glacie circumpositâ frigidissima, narratumq; , ex qvo Catalanorum exemplo id egissent , non eam fuisse vim morbi populariter æstate grassantis, qvam antea. Ad Salonem in campo illo saxeo, *Straboni* memorato, qvater currus, qvo vehebamur, accensus est, & nos fumis involuti, flamma tamen non visa; nec nisi ægre per aqvæ penuriam restinctum incendium, à ferro, qvod axem ambit, nimis stricto, calente Sole, excitatum. Nobis id inusitatum visum est, avrigæ non ita. Inter doctos, qvibuscum freqventior nobis in hoc itinere familiaritas, fuere præcipuè Iesvitæ, Medici, Chemici; & qvidem Iesvitis nihil curiosius etiam in Naturali Historiâ, & scientiis Mathematicis, Medici passim docti & affabiles: ex Chemicis humanissimè officiosos expertus sum Dn. *Visancurtium* in pago D. Roberti ad primum ab Urbe Gratianopolitanâ lapidem; Avenione *Dn. Villanovanum Montpeset* , trinepotem celebris illius Arnoldi de Villâ novâ; Monspelij , *Dn. de Beauxhostes*, apud qvem, inter cætera, spectatum amalgama Solis & Mercurij faciem picis liqvidæ, sed ponderosæ. Dn. *de la Roqvette* ibidé ex aqvâ communi in horto suo speculum cavsticum ostendit: Implebat nempe ampullam vitream rotundam aqvâ vulgari, ejusq; certâ dispositione exceptos solares radios in conum , qvantum licuit, cogebat, cui opposita arborum folia viridia terebrabantur statim largo foramine, ac si ferro candente trajecta essent. Inspecta & pinacotheca *Catelani*, qvod D. *Gilberto* nunc paret, in qvâ præcipuè ad se se oculos convertit agnus vegetabilis Tartariæ, coloris herbacei, si tamen verus ille fuit, & non schema personatum , nam attingere manibus non licebat. In Insula Camargues, horreo nunc Arelatensium (ubi dicitur C. Marius exercitum suum, ut parum

numerosum fossâ hodieq; conspicuâ circumdedisse metu Cimbrorum & Tevtonum, qvos postea in vicinis Saloni campis superavit) id præcipuè notatum, qvòd, ager ut copiosas reddat fruges, vel decies qvotannis aratro versandus sit, narrantibus incolis, anteqvam inseri qvicquam possit, ita salso ob viciniam maris, & inundationes fundo est; qvæ acrimonia ita subigitur, ut campus lætissimè postea frugibus exuberet. In hypogæo Arelatensi visa splendida ex marmore monumenta Archiepiscoporum, Rodolandi, Concordij, Honorati, Trophimi &c, sed qvod ad Historiam naturalem spectat, tria ibi præcipuè sepulchra, sibi mutuò incumbentia, in qvorum infimo multum aquæ est, in summo nihil, in medio aqva variat altitudinem ad variam lunæ phasin, indigenæ rem miraculo vicinam opinantur. Aqvis Sextiis præter thermas inspecta illustris pinacotheca *Lavtieri* (qvam *Peirescii* qvondam fuisse existimo) in qvâ plurimæ Antiqvæ statuæ Ægyptiæ, Græcæ, Romanæ, varia numismata vetusta & curiosa, præcipuè verò gemmæ numerosæ insculptæ figuris admirabiliter ingeniosis, antiqvi operis; quod ad naturalia, aderat achates, in qvâ qvinq; orbes perfectissimè designati erant, plures oculi cati, sed unus excellentissimus, qvi & ipsam oculi felis orbitam & pupillam ad stuporem intuentium repræsentabat. Visa & achates, in cujus medio herba rorismarini accuratè conspici poterat, alia in qvâ minutus sorex, argumento evidenti è liqvore gemmas initio concrescere. Inter talismanica unam duntaxat marmoream locustam memorabo, inscriptione Græcâ literatam, in hunc sensum: *Locustæ, jubet hîc vos qviescere Jupiter*; inter gemmas sculptas unam, qvæ Attilam referebat, cev senem, calvum, barba qvasi hircinâ sub men-

mentum retortâ;unam qvæ Silenum, facientem ridiculè, Romano more,ciconiam. Aqvas Sextias inter & Massiliam,viam passim inumbrabant lavendulæ, thymi, & subinde capparum germina,ut apud nos ericæ. Massiliæ inter cibaria nostra freqventer cochleæ marinæ albæ rotundæ,thunni,sardi,sardagnes,surbet. Extra urbem opportunissimum pro peste infectis nosocomium , non illud unico ædificio comprehensum , sed domibus prope centum certo intervallo distinctis, ut nec serpat contagio , & liberiori perflatu cubicula purgentur. Ad Cisteronem & Ebrodunū circa vias publicas sponte germinabat buxus, berberis,salices pumilæ bacciferæ , sedum cancronetum , freqventes ibidem amygdalinæ arbores,& in illis viscum. Spectatus & ibi asinus in deliria & furias actus, qvod rarum fortassis in segnissimo animalium. Transitus nobis inalpinus qvidam pagus , *S. Crispin* vocant , in qvo casæ rusticæ pleræq; marmoreæ,marmoreæ sepes, cavlæ marmoreæ,sed,qvod mirere,esuries in ædibus , adeo nulla est usqvam sincera voluptas. In pago *Argentiere* minera argenti à Dn. *Bogdet* hodie in usum vocata. Ad Brianconium integra rupes undulis & ductibus simillima ligno. In valle *Prageala* , qvæ ad septem milliaria extenditur,sponte proveniebat grossularia fructu hirsuto, digitalis purpurea,berberis : hîc solæ vaccæ arant clivos , non eqvi , non juvenci ; credo , qvia firmiùs pedem figunt in istis præcipitiis. Summa montium omnino calva & inertia,medij clivi insidebantur sylvulis abietinis, vallis ea solis habitabatur Calvinianis, avt si mavis, Reformatis, qvorum numerus ad VII millia excrescebat , & hi Gallo parent,vicina avtem *Lucernæ* vallis paret Sabavdo, coliturq; circiter XIV hominum millibus,itidem Reformatis.

tis. Hi ſunt qvos Theologi *Valdenſes* appellant; jactabantq; à XII jam ſeculis ſe Pontificis Romani ſacris non obediiſſe. Sed nè extra oleas, ſermonisq; viæq; ejus nunc terminus eſto.

LXXXV.

Talcum Norvegicum torno obtemperans.
Ol. Borrichii.

SUnt eqvidem qvàm plurimæ talci ſpecies, & ferè ſingulis ſuæ dotes. Aliud eſt Venetum, qvod ſubvireſcit, & ſi veri Chemiſtæ qvidam, oleum ſibi patitur extorqveri; aliud Moſchoviticum, oppidò tranſlucens, & nonnullis, *glacies Mariæ*, appellatum, aliud Scanicum, qvod hebetius, immò ſingulis propemodum Provinciis montoſis ſuum eſt. In Norvegiâ duæ præſertim ſpecies reperiuntur; *alia* qvidem adnata granatis in minerâ Arndalienſi, eaq, nigrans, ſed qvæ igni admota, atq; mox exempta, avri lamellis evadit ſimillima; qvin & tantillum avri vehit (ſi ingenioſè tractetur) non tamen impenſis ſuffecturum: *alia* in diœceſi Chriſtianienſi, de qvâ hic agitur, nonnunqvam ſubalba, aliqvando ſubviridis, qvæ torno facilè ſe patitur in vaſa & cacabos formari, immò cultris, ſerris, & ferro acuto in varias tranſit figuras. Ad tactum ſubpingus eſt, unde incolis Fitſteen vocari ſolet, & initio vix talcum eſſe deprehenditur, ita minutis, & ſubtilibus conſtas bracteis, ſed ad ignem violentiorem laxatâ ſenſim compagine prodit naturam ſuam, & in laminas argentei coloris patitur ſedividi. Inſignis qvidam apud nos Naturæ Conſultus furnos Chemicos ex eâ elaboravit, adeoq; nec laterculis, nec harenis ad commiſſuras indiguit,

guit, solo hoc talco, sed variè excavato contentus, non pœnitendo successu, qvamdiu intra modestiam se ignis contineret: ego tigilla, sive, ut vocant, crucibula per otium inde formo, nec illa inepta ad certos labores; in qvibus duplex provisio necessaria, *una*, ut cavitas incidatur non secundum, sed contra ductus bractearum, *altera*; ut ignis non intendatur validissimè. Non sunt tamen hæc crucibula ex genere eorum, de qvibus suspensâ manu traditum qviddam in superioribus Actis Hafniensibus. In Siphno lapis est huic fortasse non dissimilis, qvi, avctore *Plinio*, jam olim cavabatur, tornabaturq; in vasa coqvendis cibis utilia, vel ad esculentorum usus. In qvem usum hodieq; vocatur Comensis in Italiâ lapis viridis, qvemadmodum Mediolani satis elucet.

LXXXVI.

Periculosissimum asthma sebaceum.

Ol. Borrichii.

NOtum satis, mulierculas, qvæ in formandis ex sebo candelis occupantur sæpius, tentari gravedine, doloribus capitis, & vertigine nonnunqvam, ob exhalantes ex calente pingvedine freqventissimas atomos, qvæ & nares & oculos qvandoq; obsident, & cum anhelitu in pulmones admittuntur; sed ut notius evadat periculum, qvod ex contemptu admonitionum ejusmodi nascitur, exemplo visum est rem illustrare. *Maria Lamprechtia*, vicina mea, dum superiori hyeme, argento qvàm sanitati intentior, in angusto conclavi totas noctes fingendis promercalibus ex sebo candelis impendit, advertit sensim aggravari caput, erubescere oculos, angustari spiritum; sed bonus ille

lucri odor effecit,ut odorem ſebaceū (liceat enim penuriâ melioris ævi, Madavrenſis uti vocabulo) licet noxium Spartanâ aliqvandiu nobilitate concoqveret, donec noviſſimè victa nec inſiſtere pedibus, nec anhelitum ampliùs poſſet reciprocare,tota decolor, & deſperabunda. Vocatus cavſâ mali intellectâ cùm inter συνδρομὴν ſymptomatum graviùs ægram ab aſthmate & orthopnœâ, qvàm à reliqvis malis urgeri notarem,ad emeticum blandius provoco, & poſtea aqvis convenientibus oxymelli ſcillitico permiſtis reliqvias curæ diebus aliqvot abſolvo,in diſceſſu admonens,ut hoſtem magis ſopitum crederet, qvàm ſublatum,niſi perſiſteret in medicamentorum uſu,neq; enim poſſe unâ vice omnem illam fuliginum candelarum ſaburram ita excludi,ut recidivæ metum omnem avertat. Illa tamen ſibi reddita confidentior,pharmacorum citò oblita ad negotia domeſtica tranſiit; unde inſeqvente proximè hebdomade in priſtinum malum relapſa, & ferè funeſtiùs, qvàm ante,omnem vitæ ſpem orthopnöica & præ anxietate pæne rigida atq; obmuteſcens depoſuit. Rediit tamen ad ſeſe repetitis iisdem medicamentis,& imperatis qvandoq; ſudoribus, jamq; ſaniſſima ſpondet ſe omnibus candelarum opificibus conſulturam,ut,ſi ſalvum velint pectus,in amplâ, & perflabili officinâ magiſterium ſuum exerceant.

LXXXVII.

Coma ſomnolentum variis ſtipatum ſymptomatis.

Ol. Borrichii.

HOnoratus civis *Joachimus Curtius*, annorum circiter qvadraginta, cacochymicus, ſcorbuticus, & ſeden-

dentariæ vitæ aſſvetus, jam ante triennium in ſomnos cœpit eſſe propenſior, adeo ut ſæpe inter prandendum, cœnandumq; , ſæpe inter colloqvia obdormiſceret, non ſedens tantùm, ſed & cùm ſtans in fulcrum ſe aliqvod incli- naret, cætera ſanus, & polyphagus, & à febre immunis. Duravit illa narcoſis, qvamvis antiſcorbuticis oppugnata, ægro diætæ leges minùs ſollicitè cuſtodiente, donec ante hos ſex menſes pertinacior comitem ſibi adjungeret hydropem. Venter enim ad inſtar ligni induruit, intumuitq;, ſcrotum aqvis & flatu diſtentum, urina parca, crura rigida, ampla, hinc inde livida, & à digitu preſſu fortiori in valleculas conſtantes ſubſidentia. Evocatus in avxilium chirurgus catharticis, emplaſtris, & neſcio qvibus aliis hydropicum tumorem aggrediens eò tandem, neglecto comate, rem deduxit, ut detumeſceret ſcrotum (qvod inprimis triſtia minabatur) atq; æger in ſpem ſanitatis erigeretur, abdomine licet adhuc tenſo & pedibus tumidis. Verùm non diu tenuit illa lætitia. Quò enim plus induciarũ ſpondebat mitigatus hydrops, hoc ſæviùs pavlatim coma incubuit, & ægrum, præcipuè verò uxorem ejus ad deſperationem ſanitatis conclamatæ planiſſimè adegit. Tandem accerſitus ego hominem video ſtatuæ Mercuriali ſimilem, qvi vix clamore ſubinde experrectus ſtatim oculos iterum clavſit, non modò obdormiſcens, ſed & ſtertore & rhonchis ſpiritum meantem inqvietans. Aderat & is in vultu, & præſertim in labris livor, ut nullius ſuſpenſi facies avt labella ſaturatiori cœruleo colorentur. Inſtigatus agitatione, clamore, apoplecticis liqvoribus verba ſubinde aliqvot pronunciavit, ſed illa tertiata, & malè cohærentia, mox iterum in rhonchos & interceptam qvandoq; reſpirationem declinans, brachiis, etſi ſæpe attollerentur, ſtatim collabaſcentibus. Svaſiſſem mox (præter ana-

leptica) emeticum, sed metu calumniarum, nè secundum illud *Celsi*, qvem non hoc modo servâssem, occidisse viderer, abstinui, & prognostico præmisso, recentissimum sal. armon. urinam redolentis spiritum naribus ægri sæpe admovi, qvo ille experrectior momento iterum cum Didone sauciâ

Quæsivitq; oculis lucem, ingemuitq; repertâ,

Nihilominus crebro spiritûs ejus admotu id effectum, ut ad pharmaca os subinde aperiret; qvo viso ingeri jussi vinum liliorum convallium sale volatili succini, & spiritu salis armoniaci aromatico prægnans, non qvidem nullo successu, sed initio perexiguo, qvòd conclamata viderentur omnia, pulsu vix dum observabili. Id qvod & missionem sangvinis alioqvin profuturam retardavit. Ventum ergo & ad spiritus cephalicos, salviæ, lavendulæ, rosmarini, cerasorum nigrorum, salem volatilem ungulæ alcis, & qvæ alia usus in hoc affectu solet commendare. Cumq; his præmissis, seqventibus diebus pavllo excitatior æger pavllatim clysteres admitteret, & cathartica, plurimum qvidem fæcum exclusum est, sed caput adhuc obstipum, & germano Endymioni conveniens perduravit. Observatum mihi interea, qvoties æger incumberet lecto supinus (qvæ sola illi dormiendi consvetudo) anhelitum fuisse pavllo liberiorem, & labra minus livida, qvin & rhonchos placidiores, qvoties avtem sedili insidens à famulis contineretur, metu lapsûs, omnia symptomata visa graviora; unde conjiciens obsideri cerebrum circa sagittalem suturam aqvâ qvadam narcoticâ, qvæ sedentem erectiori capite magis aggravaret, jacente avtem, pondus ex declivi situ imminueret, in occipite mox cavterio viam noxio humori exituro aperiri jussi, & eraso ad sagittalem capillitio cucurbitas ex vitro amplas sine scarificatione cal-

calvæ sæpius affigi. Propinata interim freqventer tinctura foliorum tabaci cũ volatili urinæ & fuliginis sale, suppositisq; lingvæ rotulis ex oleis rorismarini, salviæ, succini, extracto castorei, aliis, eò præter exspectationem post dies viginti rem vidi redactam, ut æger postea manè ad negotia sua consurgeret, domo egrederetur, cum amicis luderet fritillis, & libro rationum suarum vigil qvotidie assideret, nec qvicqvã omitteret eorũ, qvæ negotiationes domesticæ requirunt. Neq; tamen ea felicitas diu duravit, cùm plùs cibariorum, plus potionum qvotidie efflagitaret, qvàm stomachus, & vita sedentaria paterentur. Accessit amplitudo illa & durities abdominis, accessit crurum tumor hydropicus, qvæ mala, cùm diætæ custodiam non adhiberet exqvisitiorem, fatum accelerarunt.

LXXXVIII.

Nitrum non inflammari.

Ol. Borrichii.

NItrum, ait Vir doctus libello de Natur. historiâ nitri, *est inflammabile, qvod experientia probatum est, si particula ejus injiciatur in ignem, confestim flammam concipit & ardet, relinqvendo calcem vel cineres post se. Ardet subitò & vehementer, ardet deorsum, cùm ignes alii ascendant.* At mille experimentis nihil tale mihi compertum. Id video, qvoties carboni candenti infunditur nitrum, excitari flammam, sed nitrum ideo inflammari non video. Excitatur nimirum ardor, sive flamma in carbone luculentior, qvàm ante, non qvia nitrum accenditur, sed qvia follis vicem sustinet. Id evidenter cerni-

tur, qvoties nitrum in mediis flammarum complexibus in tigillo liqvefactum consistit, enimvero hîc non tantùm non inflammatur, sed injectum sibi flammantem carbonem magno impetu à se rejicit, & in altum propellit. Quin & carbonem frigidum flatu suo accensum mox sufflando, si levior est, è tigillo excutit. A nitro tamen ipso non accenditur frigidus carbo, sed à particulis ignis in poris liqvefacti nitri oberrantibus; verùm à nitro ipso jam in motu exsistente carbo violenter propellitur in sublime, &, nisi gravior fuerit, extra tigillum protruditur. Sic in pulvere pyrio sulphur & carbonarium pollen accenduntur, sed placidè, nitrum avtem superveniens, & jam ab his accensis irritatum, vehementi afflatu suo spargit cæterorum flammam largiùs, & impulsu suo glandem etiam ferream in distantem murum promovet. Scilicet agit hîc nitrum sed fortiùs id, qvod in bombardâ pnevmaticâ solus aër compactior, qvippe is ut per vim in tubo illo compressus, mox ubi laxato fræno sui juris evadit, cum impetu erumpens glandem plumbeam minutam eo usq; propellit, ut objectum asserem tenuiorem trajiciat. Quo pacto & pueri è fistulis suis pisa in distans agunt solo afflatu. Ego ergo nitrum contemplor, ut salem infinitis particulis flabelliferis prægnantem, avt ut salinorum laterum follem clavsum, distentumq;, qvi motu ignis reciprocante luculenter apertus qvaqvaversum spargit flatus suos, & magno impetu obstantia elidit. Hic si leniùs aperiatur, ut fit, cùm dissolvitur in liqvoribus, avt ipsâ aqvâ, idem agit, sed remissiùs, hoc est afflatu suo refrigerat. Utrum avtem partes illæ flatuum genitrices constent ex intercepto inter laminulas ipsius aëre, an ex aliter atq; aliter figuratis corpusculis, ii ulterius dispiciant, qvibus otium & volupe. Mihi hîc sufficit, à nullo hactenus phænomeno in igne evi-

videnter exſculpi, qvòd nitrum inflammetur. Videtur qvidem obſtare experimentum qvoddam fabris argentariis ſolenne, ſed revera non obſtat. Res ita ſe habet: illi, qvòd ad cupellam (qvam vocant) provocare operoſum, ſæpe argentum impurius in laminas tenuatum admiſto nitro includunt tigillo, inverſoq; tigillo alio, ſed exiguo foramine pertuſo, commiſſuris argillâ occluſis, igni committunt. Senſim funditur nitrum, funduntur argenteæ laminæ, ſed ubi ad certum violenti caloris gradum miſtura incaluit, cum fremitu per oſtiolum illud minutum eluctatur flamma, atq; impuritates argenti maximam partem in aëra ſecum evehit, non ſine nullâ argenti jacturâ. Hìc pertendent, qvi nitrum conſtituunt inflammabile, hanc omnem flammam à nitro accenſo coortam eſſe, qvòd ſine injectis carbonibus ſponte deflagrârit. Mihi id parum fit veriſimile; nam qvis ſpondebit in tigillum mediis flammis immerſum nullos carbones minutos per foramen apertum incidiſſe, qvi hanc flammam excitaverint, eoq; validiorem, qvòd per anguſtias ei luctandum, multo flatu ad exeundum impellente? nam in hac operatione multo plus flatuum violentiſſimorum, qvàm flammæ erumpit. His accedit, qvòd ignis per poros tigilli irrumpens in flammam qvidem non abeat, ſolo nitro ibi præſente, non difficulter tamen colligit ſe ſe, ubi aliud corpus ſolidius nitro permiſtum fuerit, in cujus poris particulæ ejus ſibi firmiùs qveant copulari, adeoq; junctis viribus agere, id qvod in hoc fabrili opere contingit. Hinc particulæ ignis in nitrum retorto vitro contentum ab arenâ validè calente impulſæ nihil accendunt, ſed ſi nitro illi aliqvid ſulphuris miſcueris, accendunt & qvidem alacriter, de qvo videantur experimenta in Actis noſtris Medicis Anni 1671, & 1672. Si qvis adhuc ſuſpicetur nitrum inflamma-

ma-

mari, admoveat frustulum ejus accensæ candelæ, & satis diu ibi contineat, nihil flammæ concipi evidentissimè spectabit. Neq; etiam experimenta ostendunt nitrum vim suam deorsum duntaxat exserere, sed qvaqvaversum. Certè sursum ire liqvidissimè declarat experimentum fabrorum argentariorum, de qvô jam ante, namq; ad aliqvot pedes in altum assurgit ex angustiis foraminis luculenta flamma à nitro impulsa. Quòd autem uncia nitri batillo ferreo imposita, superinjecto carbone vivo ferrum diu candens efficiat, nihil aliud docet, qvàm vim nitri etiam deorsum tendere, id qvod negaverit nemo, qvòd si autem batillum supremo loco statuas, medio nitrum, infimo cardentem carbonem, videbis batillum eodem modo incandescere.

LXXXIX.

De cantharidibus appendix.

Ol. Borrichii.

QVæ de modo agendi cantharidum in ultimis *Actis Medicis* à me disputata sunt, de corpore & pedibus earundem intelligenda volo, non de earundem alis; ideo corpuscula earum scripsi armari spinis, qvod intuenti per smicroscopiũ accuratũ non potest nó esse manifestissimũ. Spinæ illæ vices pilorum sustinent, sed, ut in hoc genere bestiolarum, acutissimis præditorum cuspidibus. Alæ autem cantharidum licet in puncta qvædam asperiora corrugentur, non tamen usqvam desinunt in spicula. Ut mirari lubeat acumen Veterũ, & in iis magni *Hippocratis*, qvi licet oculis neqvierit designare, qvænam in cantharide partes validiùs promoverent urinam, mentis tamen lumine

mine vidit in alis earundem parum esse præsidii, ideoq; *textu LXVI. de Victu Acutor.* in potione hydropicâ, qvæ cantharidas recipit, jubet disertè earundem alas priùs auferri. Obduces, rejici etiam ab *Hippocrate* caput, & pedes, de qvo ita pavcis. Caput non injuriâ rejicitur, non qvòd non instruatur ad extremas fimbrias minutis illis suis aculeis, sed qvia pavciores illi sunt, & intuitu reliqvi corporis, non magnopere æstimandi. Pedes avtem removendi non erunt, ut oppidò, præsertim ad articulos omnes, spiculati, inq; eo aliqvid humani passus videtur optimus Cous, ab antecessoribus havd dubiè istuc inductus. Quàm enim multa & ille olim, & hodieq; nos credimus Viris doctis, & rerum peritis, sine ulteriori inqvisitione? Hodierni itaq; Medici, & in iis celebratissimi nominis & meriti *Dan. Sennertus*, rectè excludunt in Vesicas inducentibus Emplastris alas & capita cantharidum, pedes avtem cum reliqvo corpore recipiunt. Sed qvid de *hemerobio* censendum? qvem *Avgerius Clutius* refert peculiari scripto, addito etiam experimentorum apparatu, ingentia in vesicâ tormina & dolores ciere, si vel parcè tantùm, ut fit, ad castigandam arthritin comedatur. Sanè, si imagini ejus, qvam relinqvit *Clutius*, aliqvid tribuendum (bestiola enim jam ad manus non est) pedes ejus inprimis horrent spiculis, sed hanc rem optimè definiet Clariss. *Joh. Sqvammerdamius*, qvi in insecto hoc contemplando plurimum temporis consumpsit. Sed ad cantharidas iterum! Erunt havd dubiè, qvi arbitrabuntur, in emplastris applicatas mittere fortassis posse in sangvinem, adeoq; ad urinæ vias spiculorum aliqvid, sed non perinde concipi, qvomodo aqva, avt vinum, in qvo maceratæ duntaxat cantharides, si potetur, eadem propemodum inducat symptomata, cùm liqvores hi solum videantur succum be-

Ec stio.

ſtiolarum imbibiſſe, non item cuſpides. Reſpondeo, adeo minuta eſſe cuſpidum acumina, ut ab aqvâ, immò liqvore qvovis facile portari qveant, adeoq; unâ cum ſucco in corpus bibentis demigrare. Et vinum qvidem ſatis per ſe potens eſt, ad extundendas has ex integris corpuſculis cuſpides; aqva, ut ignavior, adjuvatur triturâ. Hinc diſertè *Hippocrates* loco citato: τρίψας, inqvit, ἐν τρισὶ κυάθοις ὕδατος ἐς σώματα. Et nè inuſitatum videatur à ſpiculis ad excernendum lotium invitari veſicam, conſtat ſalia lixiva oppidò eſſe diuretica, & illâ firmiter ſpiculata omnia. Qvin & excitatiſſimus ille terebinthinæ Cypriæ ſpiritus, cùm potenter ſollicitet urinam, magnam partem ex ſale volatili, eoq; ſolis ſpiculis agente, conſtat, qvemadmodum accuratiorum qvorundam experimenta fatentur. Cantharides avtem hòc agunt, qvàm ſalia, efficaciùs, qvòd duplicis naturæ armentur ſpiculis, aliis qvidem ſalinis volatilibus (de qvo proſtat experimentum in ultimis *Actis noſtris Medicis*) aliis avtem qvaſi corneis, qvibus exteriùs tegitur beſtiola, absq; qvorum ope ſalinæ particulæ hìc tam rarum effectum non producerent.

XC.

Argus Iſlandicus.

Ol. Borrichii.

C*Entum luminibus cinctum caput Argus habebat*, ſi *Ovidio* credimus; at ſi oculis noſtris ſmicroſcopio adjutis, plusqvam centum oculis donatur caput hujus beſtiolæ. Eſt avtem illa, qvam illuſtris *Wormius* noſter in *Muſéo* ſuo deſcribit *Oſcabiörni* nomine, ſed qvia in toto corpore nihil admirabilius oculis, de qvorum fabricâ nihil hacte-


hactenus innotuit, libuit adhuc semel minutum hoc animal in scenam producere. De qvo primùm avdiendus *Hannas Thorlevius*, & ipse Islandus, non minùs eruditus, qvàm verax, inq; historiâ naturali Patriæ eleganter versatus. Hic ergo ita: *Ut à nomine,* inqvit *ducam principium, illud quidem fabulæ & superstitioni originem debet, compositum à duabus voculis Ðskar & biörn, qvarum hæc ursum denotat, illa optationem, quasi optationis ursum appellares; ooskar enim genitivus est, à nominativo oosk, votum, optatio; putat enim vulgus, si qvis lapidem in Oscabiörni corpore latentem deglutiat, voti sui cujuscunq; etiam, futurum compotem. Est avtem minutum hoc animal testacei generis, figuræ oblongæ, longitudine duorum digitorum transversorum, diceres primo intuitu gammari cavdam, ita ex annulis constat ei non dissimilibus. Caput illi exiguum, & propemodum triangulare, cui nec osculum suum, nec barba, neq; cirrhi desunt; oculi planè admirandi, siti in testulâ inq; eâ fixi, figuræ ovalis, coloris subviridis, juncturæ corporis anteriores latiores sunt, angustiores cæteræ, cavda in acumen exit. Wormius in animali hoc non nisi septem numerat juncturas, sed incidit havd dubiè in corpus detruncatum, nunquam enim pauciores sunt juncturæ, qvàm decem, aliqvando etiam plures, quarum singulis, nisi versus cavdam, sua femora & crura adduntur, quorum beneficio natat: sunt avtem in universum hi pedes qvatuordecim, in quovis latere septem; sunt & qvibusdam sed rariùs plures, aliis pauciores. Intestina in eo nulla, nullum cordis, avt alicujus alterius visceris vestigium. Horum omnium vicem sustinet massa quædam tenax, pellucida, gelatinæ ribibium crassiori similis, in oblongum veluti globum formata, levi incisurâ notabilis, quæ cum tempore indurescit, & quasi in lapidem convertitur. Non est tamen revera lapis, sed*

veriùs cornu satis leve & scissile, subdiaphanum, colore propemodum rubini. Solvitur hic lapis in aceto, sed acetum inde turbidum redditur, & insipidum. A nostris ad varios morbos commendatur, inprimis autem contra nauseam marinam præsentissimo est remedio, si deglutiatur, quod & ipse expertus sum. In epilepsiâ & cordis affectibus margaritarum peragit officium. Phthisicis quoq; convenit & pleuriticis, quia glutinat ulcera pulmonum & consolidat. Erat mihi quondam libellus Mss. in quo varia de lapidis hujus virtutibus consignata erant, qui, nescio quomodo periit, & adhuc magnum sui relinquit desiderium. Lapidem hunc Islandi Peturs-stein appellant, ut infra monebimus. Reperitur hæc bestiola, præcipuè dum adhærescit piscibus aliis, unde à doctis nonnullis inter pediculos sive cimices majores numeratur. Non nascitur tamen in piscibus, ut in animalibus pediculi, sed alimenti gratiâ adhæret. Etenim dũ piscibus insidet, jam tũ ex suis in volucris exclusa est, & quâ libet, perreptat, nec cetis solum, & piscibus aliis, sed lignis quoq; & algæ se agglutinat. Quando autem integra primùm reperitur, latitat in quodam veluti sacculo, sive thecâ membranaceâ, algæ non dissimili, quæ tamen alga non est, incolæ Peturs-skip nuncupant. Theca hæc exteriùs coccinei est coloris, intra nigrantis, latitudo illi sex aut octo digitorum transversorum, figurâ quadrata, in cujus medio bestiola hæc delitescit inter mucum quendam viridantem. Huc usq; vera narravi, nunc fabulam audite, vulgo apud nos creditam. Narrant videlicet plebeji Oscabiörnum ingentis olim magnitudinis piscem fuisse, sed cùm piscantem olim D. Petrum infestaret haustu ro similis, atq; jam tum anchoram ejus minorem, (quæ saxea in lintribus, ut piscatoribus notum) deglutiisset, iram Apostoli incurrisse, ejusq; dirâ exsecratione in bestiolam hanc esse conversum, manente adhuc

in

in eo lapidis anchorarii vestigio. Hinc lapidem D. Petri, & involucrum animalis naviculam Petri appellari. Hactenus *Thorlevius*, cujus descriptio sic satis convenit cum bestiolâ, cujus plura mihi exemplaria sunt, sicut & votivi illius lapilli. Sed de oculis ejus hîc potissimùm solliciti sumus, qvi in testâ caput constituente defixi, si nudis oculis nostris aspiciantur, opus qvoddam cancellatum sive reticulare repræsentant, mille filis in se recurrentibus distinctum, atq; subviride; sed oculis microscopio armatis subjecti, clarissimè ostendunt duas testulas ovalis figuræ plenas oculis, sive cavitatibus ad minimum ducentis, non enim facile est in tantillo corpusculo numerum omnium certò definire, qvòd testulæ ad gibbum nonnihil inclinent, adeoq; conversione microscopii numerantem vel turbent, vel eludant. Viridis avtem ille color ad microscopium nullus est, qvippe ex confinio lucis & cavitatum profundarum, in qvibus suæ umbræ, tale qviddam oculis nudis duntaxat apparet, id qvod ad naturam colorum illustrandam pertinet. Diu & sæpe hos oculos ope microscopij expendi, non sine admiratione artificij in abjectissimâ bestiolarum. Credas te primo intuitu videre integrum favum apicularum, suis cellulis aptè distinctum, ita profundè penetrat visus in omnes illas cavitates. Visum fuit operæ pretium, non exteriora tantùm oculorum eorundem contemplari, sed & interiorem testularum, qvibus insident, faciem. Itaq; diviso suspensâ manu cranio, cæteræ testulæ capitis omnes interiùs deprehensæ nudæ & sine filamentis, duæ avtem illæ, in qvibus oculi reconduntur, infinitis ductibus, sev funiculis hispidæ. Utrum avtem hi funiculi totidem tubuli sint, non licuit in exsiccato corpusculo plenè recognoscere; oppidò tamen id mihi verisimile fit, nam parte externâ evidentissimæ cavitates

sunt, & sic satis profundæ, internâ extremitates in se ab aëre exsiccante coierunt, atq; ita frustratæ sunt inspicientem. Desinunt autem extrema filamentorum eorundem non in cartilaginem aliqvam, aut testulam, sed in medio aëre cavitatis illius largæ, qvæ omnium objectorum radios excipit. Illa autem cavitas clauditur testulâ interius concavâ, in qvam incidunt & colliguntur omnia phænomena per tot oculos ingredientia. Et hæc testula interior videtur tunicæ retinæ officio fungi, atq; species incidentes ad nescio qvod cerebro analogum corpus amandare. Usq; adeo nusqvam fatigatur summi rerum Architecti potentia, & nè qvidem in vilissimis animalium desinit esse admirabilis. Alia crustacea oculos habent extra caput prominulos, adeoq; ad omnia, qvæ in visum incurrunt, certis motibus flexiles, in Oscabiörno immobilia exterius universa, nulla musculorum vestigia, sed pensat hunc defectum multitudo oculorum, & interni funiculorum ductus, qvi non patiuntur admissas rerum species in orbitâ tumultuario motu vagari, sed certo qvasi tramite ducunt ad medium ferè orbitæ inane, adeo ut ampliùs errare neqveant, qvin statim in objectam illam testulam retinæ vicariam impellantur. Hic inserenda Figura capitis Oscabiörni: A. Anterior capitis pars. B. oculi C. chelæ crustaceæ. D. crustra superior cranii.



XCI.

De Cinanomi arbore & remediis ex ea variis.

Ex D. *Hermanni Nicolai Grim* Laboratorio Ceylonico.

IN Insula Ceylon Medicinam & Chirurgiam exercens *D.Grim*, patriâ Danus, cùm Chemiæ qvoq; sit peritus, ex inqvilinis Ceylonæ Insulæ simplicibus Laboratorium Chymicum concinnavit, ediditq, Lingvâ Belgicâ Bataviæ Indorum A.C. 1677. nobisq; impressum Hafniam transmisit. Ex qvo excerpere placuit Actis nostris inserenda, qvæ ex Cinamomo confecit medicamenta, eaq;, ut ab omnibus legerentur, in *L*atinam lingvam translata. Dum in eo sumus, ecce Amstelodami prodiit A. C. 1679 idem Laboratorium Ceylonicum à *Bartholomæo Pielat* Med. Doct. Latinitate donatum. Placuit labor, sed miratus sum nullâ prorsus mentionem fieri veri Authoris D. *Herm. Grimmii*, nec in libri frontispicio, nec in operis progressu. Cùm *Grimmium* verum authorem, in Insula Ceylon degentem, editio Belgica Bataviæ prodat, & in fine Opusculi fateatur se Fridericiæ, qvæ urbs est Cimbriæ nostræ, domicilium habuisse, usum familiaritate D. *Kornmesseri*, Medici ejusdem urbis. Quæ circumstantiæ D. *Pielat* excludunt à laude operis, qvem nec in India fuisse, nec Cimbria, scimus. Levavit tamen me labore versionis, qvem susceperam, & ne actum agerem, Latina ejus vestigia seqvi placuit, *Grimmio* laude operis, *Pielatio* versionis relictâ.

De

De arbore Cinnanomi.

Arbor Cinnanomi, qvæ Rex omnium Arborum jure merito vocari potest, Corticem habet, qvæ per totum Orbem cibi vicem præbet: est autem hæc ejus minima qvalitas; tot enim, totq; variæ res ex ea procedunt, ut justa sit occasio demirandi qvi fit, ut hæc Arbor omnigenas Medicinas nobis exhibeat. Quælibet enim pars suam profert, & talis est omnium inter eas differentia; ut qvi earum ignarus fuerit, juramentum præstare facilè velit, eas scilicet ex unicâ Arbore provenire non posse. Nos igitur ab Arboris cacumine principium ineuntes, finem ad Radicem usq; deducemus.

Flores Cinnanomi.

Flores isti sunt parvuli, stellati, in fundo & in medio parum perlutei, odore jucundi, atq; cum Tiliæ floribus Europæis convenientes, tantillum pingves sentiuntur dum pertrectantur aut conteruntur. Moderatæ sunt temperaturæ; calidæ scilicet ad gradum tertium, & qvamvis crudæ, nihilominus adhiberi possunt ad *Clysteres*, *Fomentationes* & *Cataplasmata*: sunt enim mediocriter *calefacientes*, *resolventes* & dissipantes. Per destillationes & præparationes exhibent nobis

Aq. fl. Cinam.
Ol. fl. Cinam.
Spiritus fl. Cinnam.
Conserv. fl. Cinam.

Aqva & *Oleum* per *Vesicam* excipiuntur: subtilis *Aqva*, in Balneo Mariæ. *Spiritus* per *fermentationes* vel affusiones continuas Aqvarum primarum super Flores recentes donec sat fortis evadat. Res istæ propter vir-

virtutem Balsamicam Capitis & stomachi Morbos curant & *Vehiculi* loco sumuntur.

Conserva florum Cinnamomi.

Conficitur non secus ac *Conservæ* Florum aliorum. Tunc autem excellentissimum est medicamentum ad ægritudines supra designatas. Dosis est ab j ad ij Drachm.

Oleum coctum flor. Cinam.

Juxta methodum vulgarem pulcherrimum oleum è floribus Cinnamomi cum Olivarum Oleo potest adhuc extrahi, qvod commodissimum erit in variis Accidentibus, tàm in Medicina qvam in Chirurgia pro Clysteribus, Cataplasmatibus & Linimentis: & est temperatè calefaciens, emolliens, resolvens & corroborans.

Folia Cinnamomi.

Hujus Arboris Folia nihil ferè qvoad figuram à foliis Laurinis differunt, mediocris sunt crassitudinis, atq; pinguedinis: calida sunt usq; ad qvartum gradum, freqventissimè sunt in usu in Medicinâ & in Chirurgiâ, respectu Medicinæ præscribuntur commodè sicut & qvævis alia *Aromata*. Qvalitatem habent Calefaciendi, incidendi, dissipandi & resolvendi: qvam ob causam effectus maximos in omnibus Flatuosis morbis producunt. Ego ipse Pulverem exindè composui pro talibus morbis qvi respectu *Colicæ Passionis, Tympanitidis*, & etiam inter *Purgantia* commixtus mirabiliter ea corrigit & emendat adeò ut absq; Torminibus vires suas explicet. Vobis eodem tempore descriptionem illam demonstro.

 Pul-

Pulvis Carminativus.

Rec. Pulv. Fol. Cinamom. ℔j.
Sacch. Alb. ℥viij.
Ol. ſt. fol. Cinnam. ʒiij.
M. f. Pulv. ſubtiliſſ.

Præter uſum Medicinalem iſtorum *Foliorum*, habent etiam varios, freqventes & aptiſſimos uſus in Chirurgia pro Thermis, Cataplaſmatibus, Unguentis, Clyſteribus, & ſic deinceps. Hinc etiam qvilibet Vir eruditus atq; peritus, terra mariq, patientes ſuos optimè juvare poteſt, ſi foliorum iſtorum uſum, apprimè noverit.

Aq. Fol. Cinam.
Ol. ſt. fol. Cinnam.

Nobis etiam exhibent per *diſtillationem* præpollens Oleum, ab oleo Cinamomi toto cœlo diſcrepans, tam in ſapore qvam in odore: Qvin & Oleum Caryophilli cuicunq; potius videretur, qvam qvidlibet aliud, propter integram qvam habent uniformitatem. Calidum eſt & penetrans atq; pro morbis omnibus, ad qvos Oleum *Caryophilli*, commendatur, iſtud etiam impendi poteſt. Mirabiliter etiam purgantia corrigit dum aliqvæ tantum guttulæ cum ipſis commiſcentur. Aqva ipſa ſimiles vires poſſidet, ſi ſumatur in magna doſi.

Syrupus Foliorum Cinnamomi.

Syrupus Foliorum Cinnamomi ſeqventi modo componitur.

Recipe recentia Folia, eaq, minutim conciſa deponantur in Retorta & tunc ſuperaffunde propriam aqvam *Cinnamomi* diſtillatam. Colloca eas tunc in loco calido, donec optimè ſed lentè facta fuerit extractio, effunde totum: deinde ſolve bonum ſaccarum album in *Aqva Foli-*

orum

orum Cinnamomi, & id simul ad *Consistentiam Syrupi*, decoqve. Postea dejice priorem Extractionem in Retortam nitidam cum isto Syrupo & humiditatem suaviter per *Balneum Mariæ* distilla, & ad usum serva.

Syrupus iste præstantissimum est *Correctorium* Vomitivorum & Purgantium; calefacit & confortat stomachum & Viscera, bonum est contra Colicam & contra morbos qvorum maxima pars è *Frigidis*, *Pituitosis*, atq; *Phlegmaticis humoribus* originem suam deducunt.

Oleum Coctum Foliorum Cinnamomi.

Extrahitur per decoctionem Foliorum cum oleo vulgari. Est autem calefaciens, anodynum, & resolvens. Aptissimum est ad usus Chirurgicos, velut ad *Linimenta*, *Cataplasmata*, & *Clysteres*. Item in Colica, Ventris Torminibus, Tympanitide, & in aliis ventosis atq; Aqvosis Tumoribus.

Fructus Cinnamomi.

Ejusmodi fructus sunt æqvè ac Laurini: cum ad maturitatem pervenerunt cœruleum colorem habent, aliàs viridem. Sunt etiam interno cortice circumducti veluti Baccæ Lauri & finduntur pariter eodem modo. Calidi sunt usq; ad tertium gradum qvem non facilè possunt attingere. Maximus est eorum Usus in Medicina & in Chirurgia, in Thermis, Cataplasmatibus, Emplastris, Unguentis, Clysteribus, & sic de cæteris.

Dum distillantur, exhibent nobis *Oleum* & *Aqvam*, & in Fundo certam viridem & densam pinguedinem quæ sæpissimè convenit in Chirurgia. E Fructibus extrahere potes qvæ seqvuntur.

Aq. ſt. Bacc. Cinnam.
Ol. ſt. Bacc. Cinnam.
Sp Bacc. Cinnam.
Eſſ. Bacc. Cinnam.
Ol. Coct. *Bacc.* Cinnam.

Qvando juxta Methodum ordinariam, ſufficientem fructuum qvantitatem aſſumis, eosq; primò groſſo modo contuſos in Cacabum injicis, Aqvam largiter ſuperaddis & diſtillare pergis, tunc *Oleum* & *Aqua* prodeunt, qvæ vel minimum differunt à ſapore Juniperi, & iisdem affectibus inſerviunt atq; producunt easdem operationes propter qvas oleum Juniperi commendatur. Si qvædam parvulæ guttæ cum Aqva bibendæ præbeantur, valdè ſvaviter Urinam expulſant & Materiam mucilaginoſam educunt quæ procreat uretherum obſtructiones.

Spiritus extrahitur ſicut ex aliis *Vegetabilibus*, unde etiam è Fructibus Eſſentiam extrahis qvæ tibi præbet optimum *Diureticum* in *calculo*, *Gonorrhœa* & aliis Affectibus. Doſis eſt ſemi ſcrup. ad ſcrup. 1. cum Aqvis convenientibus deſumendus.

Oleum extractum habebis *per ſe* poſt diſtillationem qvando frigefactum eſt, ipſumq; reperies in *Fundo*, ſed nonnunqvam adeò durum eſt ac *Cera*, & ad eosdem uſus uſurpari poteſt, qvoniam eandem poſſidet Temperaturam.

Ad Oleum vel Ceram iſtam eliciendam (qvæ qvidem propter ſuam friabilitatem magis cum ſævo convenit) plurimum refert qvo modo fiat ipſius præparatio ſive decoctio: dum enim fructus adhuc virides ſunt, nec perfectè maturi, atq; lente coqvuntur, Oleum qvoddam viride atq; læve ex iis exprimitur qvod idem ferè eſt ac denſum *Oleum Lauri*. At verò ſi perfectam maturitatem adepti fue-

fuerint, tunc totam suam viriditatem amiserunt atq; humiditas ista magis in seipsâ condensatur, & per decoctionem veram Ceram nobis præbent, qvæ licet parumper viridis atq; lutea videatur, nihilominus citissimè redditur alba. Qvod si Oleum simplex habere desideras, idipsum extrahere potes ex fructibus immaturis, iis oleum olivarum adjiciendo.

Cum autem unà cum altero *per se* factum erit, ad varios Usus Chirurgicos illud adhibere poteris: adeò ut ego ipse maximam partem communium decoctorum Oleorum qvæ nobis ex Europa mittuntur, libenter negligere velim, & isto solo res omnes efficere qvæ cætera possunt præstare. Noveris igitur me varia ex his Emplastra atq; Unguenta componere solitum esse, qvæ multorum aliorum usum contemptibilem reddunt: hæc autem mea tibi nunc manifestabo:

Empl. Diasulp. Camphorat.

Rec. Ceræ ex Bacc. Cinnam. ℔ ß.
Balsam. Sulph. Camphorat. ℥ij.
Ceræ Citrinæ q. s.
M. f. s. a. Empl.

Illud *Emplastrum* maximam efficaciam tibi demonstrabit qvoad tenaces, viscidos ac œdematosos Juncturarum tumores, vel alios ejusdem generis.

Empl. Cephalicum.

Rec. Bacc. Cinnam.
Fol. Cinnam. an. ℔ß.
Gum. Elem. ℥ij.
Ol. st. Bacc. Cinam. ʒj.
Ol. coct. Bacc. Cinnam. ℔ß.

Ceræ Citrin. q. ſ.
M. f. Empl.

Illud virtutem laude dignam continet, reſpectu Caſuum atq; Contuſionum capitis qvæ magnum minantur periculum.

Empl. Stomachicum.

Rec. Bacc. Cinnam.
Fol. Cinnam.
Menth. an. ℔ß.
Rad. Calam. Aromat. ℥j.
Ol. ſt. Fol. Cinnam. ʒij.
Bacc. Cinnam. ʒj.
Ceræ ex Bacc. Cinnam. ℔ß.
Citrinæ q. ſ.
M. f. Empl.

Iſtud magnas vires poſſidet qvoad tormina ventris, Colicam, Hydropem Tympanitidem & Vomitum.

Empl. Nervinum.

Rec. Fol. Cinnam. ℔j.
Ol. ſt. Fol. Cinnam. ʒij.
Rad. Cinnam.
Oſſis Elephant.
Ol. Coct. Bacc. Cinnam. ℔ß.
Ceræ Citrinæ q. ſ.
M. f. Empl.

Iſtud ſummopere potens eſt ad ſanandas contuſiones, diſlocationes, contorſiones, Paralyſes & dolores à frigore provenientes.

Empl. album Frigidum.

Rec. Ceruſſ. ℔ß.
Sal. Saturn. ℥j.

Ce-

Ceræ ex Bacc. Cinnam. ℔j.
Citrinæ ℔j.
Ol. Nymphex
Ranar. an. q. s.

Istud non suo deerit officio in Phlegmone, Erysipelate, Calidis ulcerationibus & Inflammationibus circa Ulcera.

Ung. Nervinum.

Rec. Ol. st. Fol. Cinnam. ℥iij
Rad. Cinnam. ℥iiij.
Oss. Elephant.
Corn. Cerv. an. ʒiij.
Ol. Coct. Bacc. Cinnam. ℥iij.
Ceræ ex Bacc. Cinnam ℔ij.
M. f. Ung.

Istud respectu paralyseos, podagræ, aut Convulsoriarum tensionum atq; cæterarum nervorum infirmitatum plus auxilii unica die qvam qvæ vis alia vulgaria per unius septimanæ, uniusq; Mensis integrum decursum, præstabit.

Ung. Hepaticum.

Rec. Ol. st. Bacc. Cinnam. ʒij.
Rad Cinnam. ℥iij.
Sterc. Vaccin.
Caprilli an. ℥ij.
Ol. Coct. fol. Cinnam. ℥iiij.
Ceræ ex Bacc. Cinnam. ℔j.
M. f. Ung.

Istud maximum & incredibilem effectum exhibebit ad dolores, ac Tumores Hepatis abigendos.

Ungu-

Ungu. Spleneticum.

Rec. Succ. Fol. Tabac. ℥vj.
Sacch. Saturn.
Ol. Fœtid. lign. Cinnam. ā. ℥j.
Bacc. Cinnam. ℥ij.
Axurg. Porci ℥iiij.
Ceræ ex Bacc. Cinnam. ℔j.
M. f. ſ. a. Ung.

Iſtud duritiebus ac Obſtructionibus Lienis efficaciſſimè medebitur.

Ung. Carminativum.

Rec. Ol. Coct. ex Bacc. Cinnam.
Fol. Cinnam. an. ℥vj.
Ol. ſt. Fol. Cinnam.
Rad. Cinnam. an. ℥ß.
Bacc. Cinnam. ʒij.
Ceræ ex Bacc. Cinnam. ℔j.
M. f. Ungu.

Iſtud Viribus magnis præditum eſt ad Curationem Colicæ, Torminum, inflationum, ac ventris ingentium cruciatuum.

Volumus nunc ulterius progredi & diſqvirere res qvæ nobis ab Arboris iſtius *Corticibus* offeruntur; ſunt autem iſtæ:

Aq. Cinnanomi.
Ol. Cinnam.
Tinct. Cinnam.
Eſſent. Cinnam.
Sal. Cinnam.
Spirit. Cinnam.
Sp. Fulig. ex ligno Cinnam.

Syr.

Syr. Cinamom.
Balf. Cinnamom.

Verum enimverò, qvandoqvidem fatis fuperq; notum eft, qvomodo fieri debeant *Aqva, Oleum* & vulgaris *Tinctura Cinnanomi*, nulla datur neceffitas ea hoc in loco demonftrandi: Alias itaq; Præparationes fufcipiemus, veluti:

Effentia Cinnanomi.

Primò talis tibi componendus eft *Spiritus Cinnamomi* qvalis feqvitur: Spiritus Vini Cinnamomi rectificatus per aliqvot vices. Tunc accipe liqvorem Salis Cinnamomi, cui affundes Spiritum illum. Et tunc diftillationem facies, multoties cohobando. Accipe deinceps iftius *Spiritus* Libram j. Cinnamomi ℥j. exagita totum fimul, & fiet eorum jucundiffima conjunctio. Tunc adjicies huic Effentiæ Unciam unam Cinnamomi fubtiliter pulverizati, & facta Extractione, Tincturam Regiam atq; Mirabilem recuperabis, qvæ in fe ipfa Virtutes omnes Cinnamomi continet: eam igitur claram effundes & ad ufum fervabis.

Effentia ifta veriffimum eft *Balfamum Vitæ*, & optimè medetur morbis Capitis, Stomachi & Matricis, menftruorum obftructiones aperit & præftantiffimos producit effectus in Partubus difficilibus, in Colica, & etiam in ea qvæ exinde provenit *Paralyfi*, Spiritus Vitalis corroboratur, cor ipfum confortatur, atq; refpectu morborum qvi vel à frigidis vel à Phlegmaticis Humoribus originem fuam deducunt, multò plus efficit qvam viginti aliæ decoctiones Herbarum qvæ fæpiffime nullius funt utilitatis. Hujus autem Effentiæ vel minima *Dofis* fufficit, fcilicet à 3 ad 5. vel ad 10 guttas.

Sal Cinnamomi.

Optima *Sal Cinnamomi* præparandi ratio, talis eſt: Accipe Cinnamomum qvod eò uſq; calcinabis donec in cineres redactum fuerit: hoc autem in Inſtrumentum injicies, qvod obturabis & ei Recipientem oppones. Tunc provenit exinde humiditas vel Spiritus qvi acidulus eſt & ubi rectificatus fuerit, vires acqviſivit ſudorem ac urinam promovendi. Extrahe igitur illos cineres & niſi ſufficienter calcinati fuerint, eos melius adhuc ſupra ferrea lamina calcinare poteris, donec albi fiant, tunc verò cum *Aqva diſtillata* Lixivium facere qvod evaporare ſines, & ubi ſiccum erit in crucibulo calcinabitur: cavendum autem ne fiat fuſio. Poſtea ſolves denuò, filtrabis & coagulabis: tunc illud in loco frigido veluti Cryſtalla ſeparari ſines, qvæ colliges & ad uſum ſervabis. Poteris adhuc ex eodem Cinnamomo ex qvo Aqva diſtillata fuit, ſal conficere, ſed non eſt æqvè bonum ac ſupra deſcriptum.

Spiritus Fuliginis ex Ligno Cinnamomi.

Recipe partem qvandam hujuſce ligni minutim concisi, & eodem terreum Inſtrumentum adimple, depone illud in Igne aperto, ſuo Recipiente munitum, atq; humiditatem qvam etiam Oleum qvoddam comitatur, diſtilla: hoc peracto, extrahe rem tuam, eam in Retortam ferream injice, ipſi ſuperaddendo parumper *Spiritus Cinnamomi*: & diſtilla Spiritum in Arena. Spiritus iſte penetrantiſſimus eſt, ſudores optimè movet, aperit & incidit, atq; maximo cum fructu impendi poteſt. Doſis eſt ſemi ſcrupul. ſcrup. j. ad ſemidrach.

Sy-

Syrupus Cinnamomi.

Recipe, Libram j Cinnamomi: adde ipsi fortem *Aqvam Cinnamomi*: obclude totum in loco calido, donec Tinctura fuerit extracta & iterum illud, supra novo Cinnamomo affunde, qvod qvidem tamdiu reiterabis donec sat fortis evaserit. Confice tunc optimum purum Syrupum ex albi saccari lib. iij. totum istud immisce, in Retortam injice atq; lentè in *Balneo Mariæ* Aqvosam humiditatem distilla, usq; ad convenientem Consistentiam, tunc id ipsum serva pro multis variisq; affectibus in Medicina.

Balsamum Cinnamomi.

Fit in Europa Balsamum ad usus externos, qvod satis cognitum est: Verum hic in Ceylonia *B*alsamum qvoddam compono qvod absq; ulla alterius pinguedinis additione, mirificè pulchrum est, continens in se ipso vires omnes *Cinnamomi*, viride est & fusile sicut *B*utyrum, & tam internè qvam externè excellentissimos effectus producit à Semiscrup. ad Scrup. 1. atq; vel solus vel cum aliis rebus assumitur. Libenter ipsius præparationem vobis hic manifestarem: verum qvoniam res est maximi momenti pro Nobili Societate, cui sine dubio maximam jacturam afferret statim atq; nota fieret, eandem evidenter in hoc libro describere nolui.

Radix Cinnamomi.

Radix istius Arboris nobis adhuc per varias Medicinas offert qvarum vires longè extenduntur. Cortex prout in se est excellentissimum *Alexipharmacum*, atq; *Sudoriferum* suppeditat in Morbis Venenosis atq; malignis. Dosis est Semidrach. ad Drachm. 1. Per *Distillationem* & Præparationem exhibet

Aq. Camph.
Ol. Camph.
Camph. ex radice Cinnam.
Syr. Camphorat.
Sp. Vini Camphorat.
Balſ. Sulph Camphorat.
Tinct. Sulph. Camphorat.
Extract. Rad. Cinamom.

Præparatio.

Recipe Corticum qvantitatem ſufficientem, iis cacabum adimplebis cui tantum Aqvæ ſuperaffundes quantum neceſſitas poſtulabit. Tunc diſtillationem inſtitues, atq; Aqva ſimul cum Camphora egredietur. Camphora ſeſe coagulabit in loco frigido & eandem ſeparatim extrahere poteris, imò eam ſecundum occaſionem ſubtilizare, qvod certò modò, à vulgari magnopere diſcrepante, peragitur. Hæc ergo *Aqua* exqviſitum eſt vehiculum in illis morbis qvibus maligna qvalitas ineſt. Uſus ipſius externus optimè convenit in Chirurgiâ dum eo lintea madida facta Tumoribus omnibus œdematoſis & aqvoſis applicantur, Camphora qvæ hinc provenit tantæ virtutis eſt, ut omnes alias Camphoras non ignotas, reſpectu ſubtilitatis, volatilitatis & penetrationis antecellat. Conſiſtit in qvodam *Sulphure Narcotico*, & *Sale Spirituali*, vel *Sale Volatili Oleoſo*, vel *Alkali oleoſo*, qvod calefaciens atq; penetrans eſt, ſudoremq; & Urinam expellit & eandem corrigit, partim dividendo, diſſipando & emendando, partim Vapores præcipitando & obſtructiones aperiendo. Remedium iſtud vel ſolum aſſumi poteſt, vel cum aliis mediis commixtum. Doſis non major eſt qvam 1. 2. 3. uſq; ad 5 grana pro ſingulis vicibus.

Parem

Parem virtutem sed penetrantiorem atq; subtiliorem obtinet Remedium subseqvens:

Spiritus Vini Camphoratus.

Rec. Ol. Camph. ex rad. Cinnam. distil. ℥iiij.
Sp. Vini ℔j.

Impone ea in Retorta, & aliqvot vices, illud per Alembicum cohoba, tunc paratum est. Dosis est gr. 5. ad semiscrup. *Oleum* istud eandem ut dictum est, ac *Camphora* virtutem habet. Externo applicatum, magnas suas vires explicat in omnibus frigidis, viscosis, atq; oedematosis Tumoribus, eosdem dissipat, calefacit, incidit & resolvit, materiamq, disponit ad rarefactionem vel evaporationem & partes debiles corroborat.

Syrupus Camphoratus.

Istum eodem modo conficere debes ac *Syrupum Cinnamomi*; qvi nonnullas *Camphoræ* partes habet, sed non adeò potentes. Multum inservire potest Chirurgiæ nec minimi usus est in Venenosis Vulneribus.

Balsamum Sulphuris Camphoratum.

Modus ipsum componendi talis est: sumendæ tibi sunt *Unciæ* nonnullæ *Florum Sulphuris*, qvas in phialam immittes, & *Oleum* Camphoræ super injicies, qvæ cum cocta fuerint, breviter sursum emittent Flores Sulphuris, dum autem phiala frigefacta fuerit, affunde clarum qvod inest & ad usum serva, possidet enim virtutem duplicem in Morbis Venenosis. Dosis est gutt. iij. ad v.

Tinctura Sulphuris Camphorati.

Recipe, istius Balsami unciam j. in phialem injice,

cui superaddes *Spiritus Vini Camphorati* Uncias iiij. Colloca rem tuam in loco calido postqvam rectè fuerit obclusa, tunc *Spiritus* Tincturam valdè rubram extrahet, qvam separabis & ad usum servabis. Excellentissimum etiam remedium est pro morbis ac Vulneribus Venenosis. Dosis est gutt. ij. ad iiij.

Extractum Radicis Cinnamomi.

Quando peracta est distillatio, remanet in fundo cacabi Liqvor rubicundus qvi pariter validissimus est, & evaporatus donec Extractum fiat, miras suas vires demonstrat in fluxu Ventris, & similibus Affectibus.

Ego exinde compono qvoddam *Electuarium*, qvod vice agniti *Diascordij*, in usum adhibui ipsumq; multo fortiorem in istis Orientalibus Regionibus reperi.

Diascordium Spagiricum.

Rec. C. C. Spagyr, præp.
C. C. Ust. & præp.
Off. Elephant. calcinat. & præp.
Gum. ex Arb. Bolang. an. ℥ij.
Terr. Sigillat. Cheilon. ℥iß.
Croc. Martis.
Fol. Cinam. a. ℥j.
Cinnamom. acut.
Cortic. Rad. Cinnam. an. ℥iiß.
Opij Spagyr. præp. ʒij.
Ol. st. Fol. Marmelle
Bolang. an. ʒß.
Extr. Rad. Cinam. ℔ij.
Syr. Cydon. Bengalens. ℔iiß.
M. f. l. a. Electuarium.

Dosis ipsius est ʒj. ad ʒij.

Qvando lignum istud per aliqvod temporis spatium

ja-

jacuit & Cortex ab eo abſcinditur contrahit odorem *Saſſafras*, neq; contemnendus eſt ipſius uſus ad omnigenas Concoctiones: poteſt etiam ex eo ſicut ex ligno Cinnamomi, Spiritus qvidam confici qvi ſanguinem purificat, aperit & ſudorem movet. Talia ſunt qvæ ex arbore Cinnamomi parantur.

Arbor Cinnamomi Sylveſtris.

Quæ Canell. de Matte à Portugallis nomen habet, & à Cingalis *Walkurundu.*

Radix ipſius Corticem præbet qvæ præſtantiſſimum eſt Alexipharmacum. Attenuans, diſcutiens, putrefactioni reſiſtens, fermentum febrile præcipitans, & virtutem ſudoriferam poſſidet.

Cortex ejus præbet nobis per diſtillationem *Sal* qvoddam *Volatile Oleoſum*, qvod Myrrhæ ſaporem ac odorem refert, & potentius adhuc eſt in ſupradictis Affectibus. Patitur ſolutionem cum Spiritu Vini; nec in variis morbis ſtomachicis minorem effectum producit qvam Elixir Proprietatis. Doſis eſt gutt. v. ad ſemiſcrup. in juſculo carnis calido, vel in vino calido.

Aqva, locum pariter habere poteſt inter *Sudoriſera* & *Alexipharmaca* remedia, ſed utendum eſt ea cum Majore doſi.

Plura ex Laboratorio Ceilonico *Grimmii* noſtri excerpere in præſenti non vacat. Inſpiciatur ipſe *Grimmius*, vel ejus Interpres *Pielat*, de cæteris, qvæ in opuſculo traduntur. In Cinnamomo ſpecimen exhibere volui, ſpecie nobis notiſſima.

XCII. De

XCII.

De Ungnento Armario, Ad *D. Joh. Lud. Hannemannum.*

DOctissimas paginas, qvas Unguento Armario impendisti, cum voluptate vidi. Sapiunt enim prolixam eruditionem, qvam ad susceptum argumentum attulisti. Non immiscebo me difficultatibus, qvibus urgeri videntur, qvi pro curationis hujus magneticæ certitudine pugnant. De his alibi actum memini, & tua penna feliciùs expediet. Experientiis standum, qvæ ubi sufficientes productæ fuerint, rem omnem convincent, & ad credendum invitos cogent. Multorum rationes nobis latent, qvorum effectus oculis patet. Nec desperandum causas qvoq; erui posse ab ingeniosis, qvi lynceis oculis & mente sublimi naturam sollicitant. Pulverem Sympatheticum, Lignum Sympatheticum (qvod ex Fraxino ut plurimum *M*artio *M*ense secto, qvando succus est in cortice, desumitur), aliaq; hujus commatis, qvanqvam simpliciora, eadem ad curandas plagas vi pollere, multis experimentis didici. Fateor, unguentum armarium expectationem nostram in primaria Urbis Matrona aliqvando fefellisse. Ad pectoris potius ulcus commendabatur à splendido qvodam Viro splendidis promissis. Cæterum cum magna diligentia miscuisset unguentum, nihil profecit irrito conatu. Quin alibi felicius succedat decantatum remedium, nolim dubitare. Ego qvidem hoc declinantis ætatis flexu perdidi spem, qva me olim oblectabam, maloq; credere oculis aliorum lynceis, qvam causas vel investigare vel refutare. Ea laus Tibi aliisq; servabitur, si quando benevolum Naturæ nutum nacti ad sacra secretiora admissi

missi fueritis. Nihil labori pertinaci invium. Perrupit Acheronta Herculeus labor. Annibal Alpes aceto fregit, h. e. magno exercitus sui molimine, qvo hodieq; inexpugnabiles scopulos subruimus. Gratulor interim Naturæ Mystis, gratulor Tibi indefesso Naturæ amasio, qvod omnis opera in eruenda Naturæ veritate impendatur. Applaudo benè meritis de Natura, & qvanqvam alterum pedem in tumulo habeam, non pigebit illa addiscere qvibus ars servandi homines vel augetur vel illustratur. Perge, Vir Clarissime, orbem ingenii & doctrinæ Tuæ monumentis ornare, meq; amare, qvi rude donatus, naturæ potius debitum exsolvere paratus sum, qvam Naturam provocare novis experimentis. Sine pennis volare haud facilè est. At meæ alæ jam pennas non habent.

Anteqvam finem Epistolæ faciam, tuo judicio expono Transplantationis exemplum, de qva olim inter nos actũ memini. Fidem fecit Amicus qvidam Magnus, Persicariam dorso Eqvorum contuso applicatam deinde in profluentem projectam, sanare ulcus simplici curatione. Eadem est ratio scrofulariæ, fabrariæ & chelidoniæ radicis in abigendis scrofulis & sedandis hæmorrhoidibus. Vale. Hafn. Cal. Jul. 1678.'

Testatur *Jac. Fabricius* Reg. Dan. olim Archiater in Schedis MStis ad Crollium, qvas Bibliothecæ Academiæ legavit *D. Simon. Paulli* illius Gener, vidisse se qvi cochleari novo, æneo, ligneo, aut argenteo recens sibi ab ægro febricitante ipso empto, die Veneris ante Solis ortum insculperet + con † summatum † est, & dicto tempore, vinum, cerevisiam, vel aqvam, aliumve liqvorem, super istas literas fusum, tribus vicibus, unum cochlear post alterum ebiberet, optato cum successu, neq; rediisse

febrem. Id vero qvomodo operetur, ingenue fatetur, se nescire.

T. B.

EX literis D. D. *Hannemanni* XV. Nov. 1678 scriptis: De cura Magnetica socio seqventem historiam, quam mihi *Franciscus Hesporn* Med. Studios. retulit. Puellus XII. annorum in Westphalia in pago *Lillebach*, laborans Enterocele, Variorum Medicorum consilia secutus, multisq; medicamentis, sed frustra, fatigatus, tandem ad hoc deventum consilium, ter per arborem qvercum fissam traheretur, sicq; sanatus perhibetur. Eandem curandi Methodum sæpius in patria mea Frisia Orientali fuisse institutam scio.

Claus Frich civis Buxtehudanus ictero laborans bis à me curatus est per Transplantationem, hocq; modo, ex ejus urina cum farina fiebant placentæ, hasq; catis, canibus devorandas objiciebant domestici, hoc facto vix ter repetito bis evanuit icterus.

XCIII.

De Thermis Artificialibus.

Ex

D. *Joh. Danielis Majoris*
Prof. Medicin. Chiloniensis
Consideratione Ferri Radiantis.

INdefessæ diligentiæ Vir, non *Major*, sed Maximus vocandus, inter alia ingenii monumenta, nuperrimè Slesvigæ 1679 in lucem dedit Experimenta varia elegantissima de Ferro Radiante, mihiq; amicè transmisit, cum vo-

voluptate lecta. Illa occasione Cap. IV. digreditur ad Thermas novo artificio parandas, magno ægrorum emolumento, qui tanto Viro hecatomben debebunt.

Ut Acta nostra illustrentur hac accessione, pluribusq; innotescat artificium novum, grata in Cl. Majorem memoria, repetam hic ea qvæ ibidem breviter sed nervosè scribuntur & figura addita illustrantur. Ita verò ille:

§. 1. Anteqvam verò ulterius progrediar, ad considerandum porrò Effecta Naturæ reliqva, qvæ durante Ferri Igniti Radiatione, circa eandem se produnt, placet ad §. 19. capitis præcedentis regredi, ubi Thermarum mentio facta est aliqva, ac de Thermis tam naturalibus, qvam artificiosis, hic qvædam inspergere. De posterioribus autem his præcipuè, qvod qvemadmodum pridem antea, in uno ac altero scripto, Inventionem earum promisi aliqvam, ita Effectum ipsum qvotidie exspectat à Me, Illustris ac Generosissimus Dominus, Dn. Benedictus Bloam, Eqves Holsatus, in Newenhoff, Kaltenhoff, Obbendorff &c. hæreditarius Dominus &c: utpote qvi jam ultra Annum, svasibus meis, ac in suæ Valetudinis gratiam, se induci passus, ut sumptibus suis omnis illa supellex conqvireretur, qvæ Operi futuro sit necessaria.

§. 2. Ad qvam inter alia pertinent Retortæ Orichalceæ tubulatæ, (aliqvot Centum Librarum) qvas ultra annum Fusori moroso (insusitatum laborem videlicet sæpius subterfugienti) præfiguratas, ab Ipso tandem paratas accepimus, & ante decursum Verni temporis hujus Structuræ toti adornandæ accommodaturi sumus, si Deus eò usq; saltem Vitam incolumem largiturus sit.

§. 3. Horum Vasorum Inventionem, tam ratione

Figuræ,qvam Modi,qvoad usum Thermalem convertentur, Mihi meritò modestè ac vero tribuo; atq; Retortis omnibus alii Tubulatis, hucusq;cognitis, Glauberi Schröderi,aut Aliorum præferro, qvod Experientiâ edoctus sciam,in horum Autorum Retortis, vix posse per singulas Aperturas,declinari Exspirationis, melioris spirituum partis periculum.

§. 4. Id verò dupliciter sum vitaturus,ut ex Figuris ambabus,in gratiam Lectorum appositis hic, liqvere potest.




Figura I. enim Tubulus Retortæ supereminens,inmobilis ac fixus, sesqviuncialis circiter cavitatis in Diametro) exhibetur,duplici Epistomio præditus: qvorum ir-

fi-

ferius (lit. B.) claudendum, dum certis vicibus tantum Materiæ Mineralis aut alterius per apertum superius Epistomium (lit. A.) immittitur, quantum in spacio intermedio capi potest. Ac Epistomium hoc superius deinde etiam claudendum est, & inferius aperiendum, ut Materia in fundum Retortæ decidat: indeq; & hoc clausum exactè, usq; ad tempus novæ Interjectionis perstet. Sic utrobivis avertitur Exhalationis Spirituosæ periculum. Summæ etiam Aperturæ Alembicus vitreus imponi potest, & ambo Epistomia aliqvando obliqvè verti pro lubitu, ad arguendum utcunq; qvid à Calore supposito (aut clandestino, etiam non-flammeo) intra Retortam visui impervium, de injectâ Materiâ agatur.

§. 5. Contra, in alterâ Figurâ, Tubulus unico saltem Epistomio (lit. C.) instructus conspicuus est, isq; non ut prior, cum mole Retortæ continuus, sed insertilis per Tubulum inferius fixum breviorem ac crassiorem: qvi ambo, in loco commissuræ mutuæ (lit. D.) cingulo lato, glutine intermedio, & clavis ferreis heliciformibus firmantur, ita ut Materia supernè per unicum saltem Epistomium (lit. C.) transire habeat; nec tamen ut spero, spirituum fuga hinc sit facilè timenda, nam Tubulus totus mobilis, aliqvanto profundius, ultra medium Retortæ demittitur, in qva regione spirituum modestior, qvam supernè sub fornice, Motus est.

§. 6. Id verò celare qvoq;, Veritatis amore, non possum, ab uno qvodam alio potius, qvam Exhalationis spirituosæ, mihi metuere periculo. Dum enim Novâ qvadam ratione, Spiritus è Retorta, non in Receptaculum vitreum clausum, sed liberè ac viribus integris in Aqvam lavacri (simplicem, aut seorsim etiam rebus destillationi ineptis medicandam) debet transvehi, certissimum est,

& tum ex Regulis Hydraulico-Pyrotechnicis, tum Experimento ipso, per vitream Retortam facto, novi, Aqvam per insertum sibi Rostrum Retortæ adscendere, illudq; obturare, qvamprimum illa utcunq; refrixerit, ad occupandum spacium Aëris, ab Igne rarefacti. Sed & huic incommodo facilè erit medela qvædam Mechanica parabilis.

§. 7. Veteres Romani per Thermas suas sumtuosissimas, munditiei & curæ corporis destinatas, in grande qvoddam cum Natura certamen descendere sibi visi sunt: sed dum amplius nil, in totâ istâ structuræ magnificentia, cum Aqvis suis effecerunt, qvam ut Lympham meram, hîc frigidam, alibi tepidam, alteribi calidiusculam aut calidissimam & sic obseqvas qvasi Nymphas nudas ac Veneres, ad nutus undiq; haberent; ne plenè qvidem ad genium Naturæ imitandum evecti sunt, tantum abest, ut ipsam vicerint, cum Thermarum naturalium materia alioqvi generalis sit hæc! Non Aqva solum, Hominem proluens, cum Aurâ calorificâ, qvæ actuat liqvorem; sed utriq; præterea junctum sulphur bituminosum qvoddam olidum, plus minus balsamicum, aut nervosis Partibus proficuum, cum Recrementis metallico mineralibus plerumq;, ipso Gustu ac alio modo dignoscendis.

§. 8. Novissimis his nostris seculis dein Frizimelica, in Patavino Gymnasio Medicus præclarissimus, brevem qvendam de Thermis, Arte parandis, libellum scripsit, à diligentissimo Rhodio editum pòstea: sed tota res, tam penes modo dictum Autorem, qvam Andr. Baccium (in majusculo suo de Thermis Volumine) ac subseqvos alios, ad sudatorium præcipue aliqvod Vaporosum commune, Insessum, Irrorationem, aut Lavacra similia, totius aut partium Corporis, adhibitâ Aqva simplici, aut cum Herbis emollis

mollientibus, relaxantibus, adstringentibus, discutientibus, anodynis, confortantibusve coctâ, aut Hydræleo, Oleo, Vino, Aceto, ipsove Animalium lacte calido & sangvine, excurrit; rarâ pene cogitatione de Metallorum Exstinctionibus habitâ. Omnium minimè verò, qvod sciam, ad Incalescentias Laticis, sine Igne procurandas, aut medicatum calorem mineralem, per Tubulos destillatorios in Balnea derivandum, vel somnio sunt delapsi.

XCIV.

Anatome Ciconiæ.

D. Oligeri Jacobæi.

RAram in Italia avem, temporeq; Aldrovandi nunqvam visam, Florentiæ inspexi ut negatam à Plinio lingvam gyrumq; intestinorum sectio monstraret, aliaq; collatis qvæ in Hafniensi factæ, observationibus, viscera innotescerent.

1. Abdomine aperto, cavitates duæ conspiciuntur per membranam intermediam secundum longitudinem abdominis divisæ, qvarum qvælibet suum hepatis lobum inclusit, parte mediâ ventriculi intra cavitatem dextram delitescente. Est sub ventriculi regione cavitas tertia, qvæ cum altera ventriculi parte intestina omnia includit. In medio cavitatis hujus intestinum qvoq; rectum conspicitur, cum membrana sua, qvæ mesaræum dici poterit. Intra cavitatem eandem renes qvoq; cum ureteribus latent sub membrana particulari. Vidimus in mesaræo tria vasorum genera, qvorum unum nervosum forsan est, alterum sangvineum manifestè & fortasse arteriosum,

ſum, tertium remotiſſimum, qvod latius ac tenuius, forſan venoſum, licet humorem ſeroſum continens.


2. Ad latera cavitatis hujus tertiæ, qvarta qvoq; & qvinta, in latere qvolibet una, conſpicitur cavitas ſecundum totam longitudinem abdominis extenſa. Patet è pulmonibus foramen inſigne, pennam anſerinam admittens, in qvamlibet harum cavitatum, licet pars reliqva pulmonum à cavitate hac per intermediam aliam ſit diviſa.

3. Supra cavitates has laterales aſcendendo & qvidem in latere dextro, cavitates tres uſq; ad latus cordis ſe invicem excipiunt, qvarum inferiores duæ qvo loco per intermediam in pulmone dividuntur vel foramina duo contigua habent vel foramen idem mediante membrana in duo diſpeſcunt. Tertia cordi & œſophago proxima membranæ alterius ope à pulmonibus dividitur, qvæ plures cavitates parvulas efformat, ſubſtantiæ pulmonum ſpongioſæ foramina plura admittentes.

4. Gyri inteſtinorum & anfractus copioſi ſatis, qvicqvid negaverit Plinius, qvi per rectum alimentorum ductum, ſine ullis circumvolutionibus, deglutitos ſerpentes exire dixit.

5. Cæca duo, ut in avibus pleriſq;, valdeq; exilia & qvatuor ab ano digitis vix remota.

6. Vermes in ſtomacho inventi Erucis ſimiles. In alia à ſe diſſectâ, ductum totum alimentorum Erucis & bombycibus infarctiſſimum, ſpectaculo raro, ſe vidiſſe retulit Anatomicus Florentinus, Stephanus Lorenzini, amicus magnus. Ranas inprimis ac ſerpentes devorat hæc noſtra, ut, qvemadmodum ubiq; ferè locorum, in Theſſalia præcipuè, ſerpentum feraciſſima, magno ſemper in honore ac ab injuria ſclopetorum tuta extiterit cum ſer-


FIG.II
Musculi Linguæ
Pici Martii
Obs. 95. Vol. 5
FIG.I.
A
D
D
B
B
C
E
B
C
G
I
D
I
K
K
H
H
F

ſerpentes devorando multum mali Theſſaliæ detrahat. Unde ciconiæ interfectorem æqvè ac homicidam, capite plecti à Plinio narratur Hiſt. Nat. lib. 10. c. 22.

7. Perforat extremitatem pancreatis ductus hepaticus, qvi communi cum cyſtico inſertione gaudet.

8. Ductus pancreaticus digitorum plurium interſtitio à bilariis diſtans ventriculoq; vicinior.

9. Lingva, à Plinio negata, brevis valde & exilis intra roſtrum longiſſimum delitescit, ex cujus inter ſe colliſis partibus inſtar crotali ſonum edit, qvo apud qvosdam glotterare nomenq; inde Crotaliſtriæ adepta creditur.

XCV.

Lingvæ Pici Martii ſtructura mirabilis.

Olig. Jacobæi.

QVemadmodum in creatis aliis Creatoris ſummi naturæq; artificium elucet, ita in avicula hac, lingvâ inprimis muſculisq; inſervientibus expenſis, curioſis ſe offert qvod oculos intuentium animumq; in ſtuporem rapit, naturamq, in minimis totam & Anchitecti polydædali ſapientiam teſtatur. Quare, ut fabricam illam mecum alii admirentur, figurisq; ac intuitu potius qvàm verbis erudiantur, ita ſingula adumbravi.

Fig. I.

A. Lingva longiſſima è roſtro exerta, qvæ in ſitu naturali brevior ac complicata, qvemadmodum ferè in Chamæleonte. Extremitas acutiſſima eſt & cartilagine munita qvâ, roſtro arboribus perterebratis, vermes culi-

Ii cesq;

cesq; extrahit, unde arbores cavantem picum Plinius nominavit, δενδροκολάπτην, ξυλοκόπον, δρυκόπον Aristoteles, Πελεκᾶν alii, παρὰ τὸ πελεκᾶν τὰ ξύλα; à perforandis lignis. Unde Albertus, *qvædam*, inqvit, *aves lingvam habent compositam, posterius ex carne, anterius ex cornu acutissimo, sicut picus niger qvi infigit ligno lingvam pugnandoq; vermes extrabit*. Idemq; de animali alio à Petro Martyre memoratur, cui formam rostri mirabilem, dodrantalis magnitudinis, acutissimamq; tribuit, & oris loco in cuspide foramen per qvod lingvam longissimam in cubilia formicarum intrudit. Extremitati lingvæ avis memoratæ gluten adhæret, qvo capta præda fortius irretitur, idemq; in lingva Chamæleontis, qvi muscas venatur, apud Illustrem Botanicum Leydensem, Arnoldum Syen, me vidisse memini.

B. Rostrum superius.

C. Rostrum inferius.

D. Musculorum lingvam moventium dispositio mira, qvi ad occiput usq; extenduntur, totumq; capitis verticem, per cranio insculptum sinum, supergressi ac velut in glomum involuti in partem rostri superioris dextram (E) inseruntur, ut per ambages longos, ceu missile telum, lingvam extendant.

F. F. F. Musculi arteriæ asperæ (G) ad basin lingvæ tendentes fasciæq; instar, spectaculo raro, revoluti ac se invicem intersecantes, omnem superant admirationem.

H. H. Musculi recti ad interna thoracis parte enati ad lingvam tendentes.

I. Cranio insculptus sinus; cui incubuerunt musculi lingvam moventes. KK portiones duræ fidem imitantes.

Fig.

Fig. II.

A. Lingva.

B. Musculi arteriæ asperæ, fasciarum modo, circumvoluti.

C. Rima epiglottidis.

D. Os hyoides

XCVI.

Anatome Piscis Centrines Italis Pesce Porco.

Olig. Jacobæi.

1. CUtis crassissima est & asperrima, brevibusq; & innumeris aculeis inhorrescens, coloris fuliginei; corpus à capite ad caudam figuræ triangularis.

2. Caput exiguum ac depressum.

3. Pone oculos foramen, hians in cavitatem oris, qvod pro aure à nonnullis habetur.

4. Rostrum, parte superiore, planum multisq; hinc inde pertusum foraminibus.

5. Dentes acuti & triangulares, utrinq, serrati; figurâ glossopetræ dentiũq; canis Carchariæ à Stenone descripti. Dubia res an glossopetræ ab Autoribus memoratæ dentes sint piscis hujus an terrâ producti lapides, cum partibus animalium similia corpora, è terris eruta, degentium in iis locis animalium spolia cum Stenone credant nonnulli; alii sine animalium concursu ibi in terra producta. Nec ambigo qvin litem illam diremerit Bartolinus celeberrimus in dissertatione de Glossopetris Melitensibus, à Vulcano erepta.

6. Septem in maxilla ſuperiore dentium ordines, qvi ob ſeriem confuſam vix numerandi; licet microſcopii ope ultra qvadraginta viderim. Ordines qvinq; in maxilla inferiore, qvorum prior ſurſum vergebat, reliqvi deorſum, molliq; ac fungoſa gingivarum carne ita circumſepti, ut, niſi reſectis gingivis, oculos effugerent.

7. Pinna, capiti vicina, è dorſo ſurrigitur, aculeo armata, qvam venenum fundere Oppianus dixit. Cauda in pinnam degenerat parte inferiore latam, ſuperiore acutam; Ex ſurgente in dorſo aculeo Κεντρίνης appellatur ſeu Galeus aculeatus cum duo canum genera in Galeos & Centrinas Ælianus diſpeſcat. Malè aliis Centrina, qvæ partim vipera, dipſas appellata, partim culex apud Theophraſtum.

8. Stomachus, ductu recto, velut in ranis, protenſus ac qvaſi œſophagus amplior qvem inteſtinum longiſſimum comitatur, gyris deſtitutum. Sub finem hujus appendix viſitur, cæco inteſtino ſimilis.

9. Lien qvaſi in lobos binos diviſus; qvorum dexter tenuis & oblongus, ſiniſter craſſior. Duplicem lienis lobum in aliis vidit Fr. Rhedi, & in cane Caſp. Bartholinus Th. f.

10. Bini hepatis lobi longiſſimi, oleo referti, qvorum unus latus abdominis dextrum alter ſiniſtrum implevit, ad anum usq; protenſus. Cum præſtantia olei ex levitate innoteſcat, mixtum hoc cum oleo olivarum, amygdalarum dulcium, generoſo illo qvod di Peſca appellatur, ſuperius ſemper innatavit. Cum ſpiritu vini rectificato in fundum ſubſidit. Ut taceam in Medicina uſum, qvem ex hepate frixo collectum, ad durities emolliendas

mor-

Obs. 97. Vol. 5

Fig. VI.




Fig. VII



Obs. 97. Vol. 5

Fig. III.




Fig. IV.




Fig. V.




Figura Torpedinis

Fig. I.

Obs. 95. Vol. 5





FIG. II.





morbosq; articulorum sopiendos præstat, autore Rondeletio.

11. Ovarium duplex, Gyri oviductus innumeri ac circumvolutiones stupendæ, qvæ cordis regionem supergressæ, velut in gulam tendunt; iidemq; in Rana, Salamandra, Torpedine anfractus visi.

XCVII.

Anatome Piscis Torpedinis motusq; tremuli examen.

Olig. Jacobæi.

INter alios Pisis in Italia Liburnoq; dissectos pisces, allatus ille, qvià stupore, qvem infert, Torpedo appellatur, jussuq; Principis Florentini, ut caussa tremoris innotesceret, ferro destinatus. Quæ ergo cum Anatomico & amico magno Stephano Lorenzini visa, ita calamo signavi.

1. Cum referant Scriptores piscem Torpedinem, si manu tangatur, tremorem inducere, somnumq; ac formicationem, facto inprimis rei experimento, veritatem deprehendi, manibusq; constrictus piscis ita auxit dolorem ut brevi temporis intervallo brachium totum humerumq; invaderet & cubitum ipsum qvasi fuste percuteret. Dolor manuum pungens fuit & acutus qvalis ab acicularum punctura, tremori junctus; factumq; in aliis experimentum nec me nec testes rei oculatos, Nicolaum Stenonem, Franciscum Redi, Christophorum Bartholinum, Stephanum Lorenzini, unqvam fefellit. Quod è longinqvo operetur vis illa narcotica, ut referunt piscatores, hastamq; vel baculum admotum & funem retis pertranseat

manumq; invadat, vix credo, cum facto à me experimento baculoq; corpori admoto nil tale obtigerit, nisi verba fecerint antiqvi vel de Torpedine qvæ mare adhuc incolit vividaq;, nec dissipata ob mortis viciniam, virtute, fortius operatur, ut putat Redi, vel, præter Italicam, in mari alio degentem, virtuteq; diversâ ac potentiore, qvemadmodum de animalibus notum qvæ in regionibus aliis veneno turgent, in aliis exarmantur. Rem nostram illustrat historia Boylæi, qvam, habito de similibus sermone, mihi retulit Londini de Torpedine Africana, qvæ piscatorem qvendam, qvi in littore constiterat piscemq; memoratum prærternatantem hastâ percusserat, ita narcosi oppressit ut doloribus excruciatus mortiq; ferè vicinus in terram procumberet; accurrens, re visâ, alius miserumq;, ut humi levaret, apprehendens fatum idem expertus est membrisq; trementibus & qvasi contagione alterius infectis humi procubuit; ut effluvia illa & miasmata venenata ex Africana potentius qvàm Italica Torpedine emanent, & è corpore uno in aliud contagione insinuentur. De veneno Serpentum Virginiæ, qvod potentissimum, simile qvid narravit laudatus modò Boylæus, qvi hominem qvendam vulnera alterius, à serpentibus læsi, curantem lotioq;, ut mos est istius regionis, abluentem, veneno eodem qvo vulneratus, correptum subitoq; exstinctum dixit; ut serpentum Virginiæ virus, velut effluvia Torpedinis, latius diffundi & per contagionem serpere videatur.

2. Maximus invasit dolor, ubi tactus in lateribus piscis manibusq; fortiter constrictus, eo inprimis loco, qvô substantia fungosa ex fibrarum genere coagmentata apparet. Colliguntur in fasciculum canales memorati & qvò propius ad latera cranii ascendunt, eo numero auctiores.

3. Cor.

3. Conſpectiora duo illorum genera, qvorum craſſius unum, qvoad ductum & parietes, tenuius alterum. Fibræ craſſiores, qvæ pennas anſerinas æqvant, mollesq; & albicantes, in latere utroq; ductu perpendiculari, inter ſuperiorem inferioremq; corporis tunicam meantes, fibris transverſis invicem ſeparantur nervoſq; è tranſverſo accedentes recipiunt; ut motrices ideo à Stenone appellentur. Limbo illarum globuli affixi ſeu veſiculæ pellucentes, qvæ coloris ac ſubſtantiæ cum fibris ejusdem. Fungi glandularum vice humoremq; unctuoſum, ceu cribra, ſecernere, cum vaſa ad eas ſangvinea ferantur, qvodammodo apparet.

4. Fibræ tenuiores à limbo extremo verſus interiora feruntur. Extremitas una, caudam reſpiciens, foramine patulo cutem perforare viſa, altera ſuperior loco eodem modoq;, qvo fibræ craſſiores, terminantur.

5. Oculi parvi partiq; ſuperiori inſerti. Qvatuor in Torpedine qvadam vidit Borrichius, humoris chryſtallini ſubſtantia triplex à Stenone inventa; uveæ figura illa qvæ claudere pupillam poſſit; cylindrus cartilagineus durus oculiq; globo firmiter adhæreſcens.

6. Hepar in lobos duos diviſum, qvi in baſi gracileſcentes ſupra ſtomachum junguntur. Color hepatis in diverſis varius, jam griſeus, jam pallidus, modò rubellus. Modo ferè eodem lobos hepatis gracileſcentes ſupra ſtomachum uniri in piſce, qvi Capo appellatur, figura demonſtrat.

8. Folliculus bilis magnitudinis inſignis, exactè rotundus, coloris viridiſſimi; in cujus ſuperficie convexâ vaſa ſangvinea intenſiſſimè rubra conſpiciuntur.

9. Stomachus vaſtus, intus rugoſus, in qvo piſcis integer inventus qvem turdum appellant. Rictus Tor-

pe-

pedinis amplus est & diductus, piscemq; integrum & illæsum facile transmittens. In stomacho papillæ visæ, qvasi resolventis humoris vasa.

10. Intestinum jejunum, qvemadmodum cæcum in Struthione, lepore, cuniculo, fabricâ eleganti interiore cochleam effingit; idemq; in intestinis rajæ, piscis palumbi, canum marinorum viderunt alii.

11. Rectum intestinum crassitie insigni, & ante exitum, tantillum reflexum, qvo loco portiuncula qvædam intestini cæci apparuit.

12. Branchiæ utrinq; in lateribus qvinqve. Sunt velut lamellæ carneæ invicem compaginatæ, ab ossibus incumbentibus dependentes, & à circulo medio seu foramine ad limbum exteriorem extensæ. Qvinq; foraminibus branchiarum internis qvinqve in cute externa respondent, qvæ ingestam ore aqvam rursus, ut opinor, egerunt pulmonesq; ab excrementis depurant, similemq; ferè figuram monstrant qvam stigmata seu foramina illa ovalia, pro accessu aëris & recessu, in insectis conspicua.

13. Cor auriculis binis instructum, licet in Experimentis Naturalibus unicam ei Redi attribuat. Motus cordis validissimus digitumq; admotum vi summâ attollens. Vasa coronaria eleganter conspicua. Iteratum à me experimentum Viri sagacissimi, Francisci Redi, voto respondit, qvi corpori Torpedinis extractum cor omniq; vase sangvineo liberatum, spatio horarum septem vivere ac palpitare deprehendit, corpusq; reliqvum piscis, corde evulso, per tres horas continuas signa motus sensusq; evidentissima monstrare; qvo utroq; omnium ultimò cauda destituta est.

14. Juxta exitum ani, exitus qvoq; oviductuum, qvi per membranam seu fimbriam supra stomachum uniuntur,

untur, qvo loco ad latera stomachi foramini patula conspiciuntur.

15. Ovaria posterius hepati utrinq; adhærescunt in qvibus hydatides qvasi seu vesiculæ aqvosæ apparuerunt. In torpedine minore oviductus prope exitum valde dilatatos vidi sacculosq; binos, aqvâ glutinosâ plenos, efformantes. Sacculos ita formatos crediderim qvod Torpedo illa vel ova jam pepererit, vel brevi reciperet. In majore alia sacculi inventi, magnitudinis insignis, qvibus ova octo inclusa, coloris sulphurei, figuræ circularis, mutuaq; à contactu compressione, placentularum instar, planæ ac depressæ. Oviductus, velut in ranis, gyris innumeris & anfractibus tortuosi; in qvorum cavitate humor fluctuabat, vitreo in oculis humori non dissimilis.

16. Foramina bina pone oculos in os tendentia sese; aperientia.

17. Maculæ qvatuor nigricantes, in nonnullis qvinq;, dorso aspersæ, qvæ oculi ab Autoribus vulgo appellantur. Lateribus caudæ appendices rotundæ duæ adhærescunt.

Explicatio figurarum Torpedinis.

Fig. I.

a. a. a. portio cutis abscissa.

b. b. fibrarum fasciculus.

c. c. Extremitates fibrarum, qvæ versus cranium copiosiores.

d. d. Globuli seu vesiculæ pellucentes.

Fig. II.

a a. Lamellæ carneæ branchiarum.

b. circulus ſeu foramen medium.
c. Limbus ſeu margo exterior.
d d d d d. foramina parti internæ branchiarum reſpondentia.
e e e e e. foramina in cute externa.

Fig. III.
a. Cor Torpedinis.
b. auricula dextra.
c. auricula ſiniſtra.

Fig. IV.
a. Oviductus, cum ſuis anfractibus.

Fig. V.
a. Ova Torpedinis.


Fig. VI.
a a. Lobi hepatis.
b. iidem in medio gracileſcentes.
c. folliculus bilis.
d. ductus Cyſticus
e. concurſus ductus cyſtici cum ductu hepatis.
f. inſertio in inteſtinum.
g g. duo ductus hepatici ſibi occurrentes in K.
H. Inſertio ductus hepatici in inteſtinum.
I. Alius ductus hepaticus ductui cyſtico (d) occurrens in medio (e).

Fig. VII. piſcis Caponis hepar, parteſq; cæteras oſtendens.

aa. Sto-

Obs. 98. Vol. 5 FIGURÆ CAMPESTRÆ

Fig. I.



Obs. 99. Vol. 5.

FIGURÆ Scorpionis.

Fig. II




Fig. I.



Fig. III.



Renes canini.



Obs. 106. Vol. 5

aa. Stomachus.
b. inteſtinum rectum.
dd. duo hepatis lobi, qvi in medio
(e) velut in Torpedine, graciles ſcentes ſupra ſtomachum uniuntur.
f. veſicula bilis.
g. ductus Cyſticus.
hh. ovaria.
I. locus, ubi oviductus ſupra ſtomachum uniuntur.
K. Lien.
L. pancreas.

XCVIII.

De Lampetra ejusq; pulmonibus, & Angvilla.

Olig. Jacobæi.

1. OS, velut in hirudinibus, rotundum & excavatum, dentibus acutiſſimis circumſeptum, qvo lignum lapidemve ita fortiter apprehendit ut ſugere videatur objectoq; ſuo, cucurbitularum inſtar, ægrè avellatur.

2. Quatuor ſunt dentium ordines, qvorum infimus limboq; extremo vicinior dentibus ſeptem; ſecundus & tertius qvatuor, utrinq; in lateribus; ſuperior binis grandioribus armatur. Dentes ipſi acuti & hamati. Viginti circiter ordinibus diſtingvi Geſnerus vidit & tanqvam à centro ad circumferentiam digeri, ordinibusq; ſingulis ternos, qvaternos, ſenos ineſſe.

3. In parte capitis ſuperiore fiſtula ſeu foramen

patulum, velut in cetis ac balænis, per qvod bullulæ exire visæ.

4. Septem utrinq;, infra caput, lateribus insculpta foramina, totidem tubulorum extrema, qvi in fasciculum coagmentati, numeroq;, in unoqvoq;, duodecim vel qvatuordecim pro branchiis habentur, haustamq; exterius aqvam rursus emittunt. Oculi antiqvis appellantur, nomenq; inde Negenaugen, cum novem numeraverint, sortitus piscis.

5. Oleo inunxi foramina prædicta, Malpighium imitatus qvi in bombyce insectisq; aliis talia tentavit, ut obstructis oleo pulmonum orificiis, illitæ partes motu destituantur aerisq; impeditâ ventilatione animal suffocetur, sed fefellit in lampetra experimentum, ob foramina, ut puto, ampla nimis & diducta, qvæ ab inuncto oleo ita occludi neqveunt, ut ingressus aëris planè denegetur. Cerâ ergo liqvidâ, qvæ oleo tenacior, foramina inunxi motumq; inde pulmonum, à cerâ impedito aëre, manifeste diminutum, rursusq;, cerâ ablatâ, insurgentem cum voluptate aspexi.

6. Corpus juxta fauces bifidum, motum ostendens; supra qvod corpus aliud carnosum maculis duabus oblongis & nigricantibus ad latera insignitum.

7. Hepar oblongum, cæruleum, lobi unius.

8. Cor sub branchiis & foraminibus reconditum hepatiq; immersum, & involucro suo seu pericardio, duro ac cartilagineo, inclusum.

9. Unicus ab ore ad anum ductus longissimus, nullis gyris aut voluminibus inflexus.

Quæ in angvillæ capite cum Nicolao Stenone obiter visa, cum familiæ illius lampetra annumeretur, hìc adjicere qvid vetat?

1. Caput angvillæ à trunco reliqvo resectum, levissimâ qvavis irritatione, ultra horæ spatium motum ostendit, idemq; in capite resecto Gryllotalpæ per biduum continuatus.

2. Cranio diffracto, qvotiescunq; meninx dura, tantillùm vellicata, in musculis capitis mox motus convulsivus, oppidò manifestus, apparuit.

3. Variæ in cerebro eminentiæ conspectæ, qvæ à parte posteriore, ut distinctius agamus, recitandæ; ubi primò cerebellum, sub qvo ad latera ventriculi qvarti corpora bina grisea apparuerunt. 2. Eminentiæ duæ albicantes, unde nervi optici exiêre, qvæ parte superiore, ubi cavitas manifesta, sine sectione à se mutuò separari poterant. Corpora hìc visa natibus testibusve forsan analoga. 3. Eminentiæ duæ, coloris grisei, per filamentum albicans transversum cohærentes, per qvas cum filamentis reliqvis nervosis antrorsum pergentibus cohærebant radices albicantes variè dispersæ.

4. Binæ aliæ protuberantiæ rotundæ griseæ unde orta substantia medullaris filamenta duo retrorsum ad reliqvum cerebri corpus propagavit.

5. Binæ adhuc minutæ griseæ unde filamenta nervea antrorsum.

6. Inverso qvoq; cerebro tubercula duo grisea apparent, unde fibræ nervosæ in cerebrum ascendentes, unum qvoq; intermedium, sed rubicundum.

7. Ventriculus tertius & qvartus ampli satis & insignes, qvorum hic longè infra cerebellum per mediam spinalem medullam descendit.

8. Glandula pituitaria figuræ elegantis ac superficie superiore margaritæ perforatæ æmula, speciem foraminis exhibente substantiâ griseâ qvæ infundibulo continuatur.

parte anteriori libera est, posterius partibus lateralibus matri duræ adhærescens.

Explicatio figurarum Lampetræ.

Fig. I.

a a a a a a. foramina, seu orificia pulmonum, oculi à vulgo appellata.

b b b b b b. branchiæ seu tubuli pulmonum ad ostia singula tendentes.

Fig. II.

a. Corpori juxta fauces bifido superincumbens corpus carnosum, corpusculis nigris oblongis (b) insignitum.

XCIX.

De Scorpione Observationes.

Olig. Jacobæi.

Missi ab Italo celeberrimo Francisco Redi Scorpiones, cum in Italia essem, cultroq; ac microscopio subjecti, ita singuli patuerunt.

1. Fæminæ maribus majores & nigricantiores, mares rubelli, colore ferè piscis minutuli, Sqvilla appellati.

2. Bini oris forfices, qvi in medio dentati & in longum exporrecti.

3. Dorsum annulis septem compaginatur.

4. Qvatuor utrinq; pedes, extremitate furcatâ, chelis seu acetabulis cancrorum & gammarorum non dissimiles, nodis qvatuor seu articulis distincti & instar cornu flavescentes.

5. Ven-

5. Ventri commissuris qvinq; compaginato lamellæ binæ, qvasi serratæ, adhærescunt, crenis seu incisuris octo utrinq; insignitæ qvas ambulans scorpio, qvasi totidem instructus alis, perpetuo distendit.

6. Vertebræ seu spondyli sex caudam distingvunt, in medio cavitate conspicua limbisq; utrinq; dentatis, qvorum posterior aculeo armatur grandi & uncinato.

7. Apex seu acumen aculei durum valde & crustosum, an pertusum, microscopio armati oculi vix asseqvi potuerunt, adstipulante qvoq; Æliano aculeum Scorpionis adeò insensibiliter perforatum ut aciem oculi vel acutissimam, eludat. *Cuspide tantum velut acu ferire Scorpionem Galenus dixit* sed experientiâ refragante, cum guttulam inde expressam vulneribusq; post ictum immissam sæpius observaverim.

8. In spondylo seu articulo caudæ extremo vesica latet, qvæ ictu Scorpionis compressa venenum ejaculatur. Res ferè similis vesiculis minutis microscopio Hockii in urtica detectis liqvore urente & corrosivo stagnantibus, qvi per spicula annexa, syringarum instar viam in cute aperientia succumq; plantæ pungentem derivantia, per compressionem vesicularum exstillat; ut apes, vespas & insecta cætera spiculis infensa omittam qvorum ad mixtus succus partibus nervosis sensibilibus, velut ex commixtis apud Chymicos humoribus, ebullitionem creat & effervescentiam, porosq; sibi minus convenientes inveniens, instar aqvæ fortis partes sensiles vellicantis, dolorem pungentem & lancinantem caussatur. Dentes serpentum Indiæ vesiculis tegi medioq; dentium insculptam crenam, per qvam transit venenum, apud Illustrem The-

ve-

venothium Parisiis se vidisse mihi retulit celeberrimus noster Olaus Borrichius.

9. Vertebra seu spondylus qvintus aculeum antecedens, cæteras omnes longitudine vincit, globulusq; caudæ ultimus fistulâ aculei, ut mihi apparuit, duplicata ac nonnihil inflexa, in extremitate armatus, qvem Plinius dentem appellavit.

10. Cum ambulat Scorpio transversim se infert caudamq; arcuatim inflexam supra dorsum attollit qvoties ictum minatur, unde in Fastis Ovidius.

Scorpius elatæ metuendus acumine caudæ.

11. Cum insecta reliqva, qvantum mihi innotuit, Ova deponant, Scorpiones soli vivipari sunt fœtusq; vivos ac in specie sua perfectos pariunt, qvod & Plinio c. 25. libr. 11. & Æliano c. 20. l. sexti jampridem innotuit. Fœtus ipsi nive candidiores, figurâ nucis avellanæ vermiculo, aspectu primo, non dissimiles, qvi in aperta fæmella modo triginta, modo plures vel pauciores sæpius inventi, filoq; oblongo dependentes, qvod ante me vidit sagacissimus Rhedi, & membrana tenuissimâ vestiti, in qva scorpio unus ab altero, mediante septo fili tenuissimi æmulo, manifestè distinctus. Vidi præterea, sine ope microscopii vestigia oculorum, punctis duobus nigricantibus notata, & ut naturæ providæ solertiâ tot in angusto corpore fœtus commodius hospitentur, caudam, qvæ in longum aliàs exporrecta, sub ventre reflexam, chelasq; ac forfices infra caput depressas corporiq; agglutinatas.

12. Majores ex regno Africæ Tunetano exsiccatos mihi Steno monstravit, coloris ex viridi flavescentis & instar ambræ pellucidi, ubi partes singulæ exteriores accuratius conspectæ.

13. Cum

13. Cum inter antiqvos sit, cujus jam non occurrit nomen, qvi spatio certo inclusum Scorpionem seipsum interimere ait si tentatus exitus denegetur, cepit me rei experiendæ voluptas, & scorpiones plures spatio satis amplo commisi, prunis, nè elaberentur, candentibus circumjectis, vidiq; non sine stupore bestiolas memoratas, postqvam qvæsitò diu exitu hinc inde cursitassent, post gyros pauculos dorsoq; infixum spiculum seipsas interimere, teste rei præsente Consobrino nobilissimo Casparo Bartholinò Th. f. Qværdam interim, eo qvo tentatum experimentum, tempore non occurrens, mihi orta suspicio de Scorpionibus memoratis numnè à prunis circumjectis, qvas in fuga attigerint, ustulati tandemq; convulsiones passi, in memorato corporis situ, expiraverint; qvod aliis Naturæ Secretariis, qvibus copia Scorpionum, hic mihi denegata, suppetit, investigandum relinqvo.

Delineatio Fig. Scorpionis.

Fig. I.

aaaaaaaa. membranæ fœtum involventes, ut in microscopio apparent, instar crystalli pellucentes.

b. septum fœtum unum ab altero distingvens.

c. fœtus rudimenta.

d. flexus ad latera oblongus, qvasi tuba vel oviductus.

Fig. II.

aa Oculi, in fœtu qvàm in adulto conspectiores.

b. chelæ infra caput depressæ & corpori agglutinatæ.

c. cauda sub ventrem inflexa.

d. Annuli corporis satis conspicui.

Fig. III.

aa. Lamellæ ſerratæ ſub annulo primo ventris.

b. in medio cavitas.

C.

Serpentum & Viperarum Anatome.
Olig. Jacobæi.

IN veſica ad dentium viperæ radices humor flaveſcens, qvem Rhedi venenatum, Charras Pariſienſis innoxium proclamavit, cum in irritatis ſaltem ſpiritibus, conſiſtere venenum putet. Liqvorem autem flaveſcentem, dum Spiritibus iiſdem earumq; activitate animatur, ac potentius fermenteſcit, venenatum fieri qvid obſtat?

2. Dentes veſiculæ incluſi, qvaſi canini minores, radice molli maxillæ adhærentes.

3. Cerebrum tunicâ nigrâ inveſtitum. Craſſa illius ſubſtantia circa ventriculum qvartum.

4. Paria duo tuberculorum, qvorum griſeum unum, albicans alterum in cerebro apparent. Ab hoc pari ſupra ventriculum qvartum expanſio; inter primum ac ſecundum par in baſi media foramen.

5. Nervi optici ſibi mutuo adhæreſcentes.

6. Pupilla ex arcubus duobus conflata, qvorum anguli horizonti perpendiculares.

7. Humor cryſtallinus exactè rotundus.

8. Fabrica arteriæ aſperæ rara & elegans, medium ſaltem annulum conſtituens, reliqvum cavo pulmonum continuum, in qvibus loculi varii alveolis favorum non diſſimiles.

9. Unicus cordis ventriculus mihi viſus ut & auri-

cula unica. Varii in corde ſinus, carnea valvula auriculæ præfixa.

10. Sangvis venarum bullulis refertus.

11. Ovarium duplex. Oviductus gemini & ſuum cuilibet orificium diſtinctum.

12. Coſtarum levatores admodum inſignes.

13. Fibræ inter coſtas exterius à parte poſteriori verſus anteriora deſcendunt; interius verò à parte poſteriore verſus anteriora aſcendunt, ubi coſtas plures tranſiliunt. In vertebris interiùs à medio verſus latera deſcendunt.

14. In capite, non modo dentibus munita oſſa mobilia, ſed & pars anterior narium cavitates continens. Dens ille mobilis partim cranio, partim oſſi alteri, qvod mandibulæ inarticulatur, annexus.

In Vipera fœmella.

1. Corpuſcula duo in cauda, admodum exilia, qvorum extremitas ſuperior, largior aliqvanto & transparens, forſan clitoridis ſpecies.

2. Uterus geminus, cujus orificium unicum inter dorſum & inteſtinum rectum. Uteri Utriusq; cornu ſuperius apertum videbatur, in latere dextro cornu extremum continuum ſacculo extremitatem ovarii integenti.

3. Ovarium membrana tubulata eſt, cui ova intus adhæreſcunt.

4. Veſica pulmonum, immiſſo per arteriam aſperam flatu, viâ longiſſimâ deſcendit. Arteria intus per pulmonis aperti longitudinem decurrens.

5. Gula ipſa membrana robuſtiſſima, qvæ diſtendi immenſum & ampliari poteſt. Vera dixiſſe Ariſtotelem,

qvi gulosissimos animalium serpentes obviaqve qvævis etiam magnitudine conspicua devorare asseruit, testatur Bartholinus Histor. Anatom. Cent. IV. qvi non saltem Helsingoræ apud Pharmacopœum Viperam nostratem exsiccatam vidit qvæ alaudas qvatuor cum plumis in ventriculo congesserat adhuc ibidem conspicuas, non dissimilia qvoq; notante Aurel. Severino in Vip. pyth. c. 12, sed & in prædio fratris sui Bartoli Bartholini ranas integras dexteritate qvadam à Vipera deglutiri, capite primùm intruso pedibusq; ad partem posticam compressis, qvi deinde corpore compresso felicius succedunt.

6. Post jejunium longum, copiosissima adhuc in abdomine pingvedo.

7. In dorso exterius tria musculorum paria. 1. à costa in costam vel è transverso. 2 à transverso in spinam. 3. à transverso & spina in spinam.

8. Interius tria qvoq; musculorum conspecta paria; qvorum unum sub sacrolumbo procedit; alterû à costis anterius, tertium à costis interius procedens in lineam mediam cutis defertur.

9. Motus musculi sacrolumbo analogi, cum tendinum intersectione, eleganter conspicuus. Musculum hunc eo fungi officio puto ut ad latera flectat.

10. Ictus à Vipera turtur, qvem Steno objecit, tremore initio correptus est, ambulans inde tantillùm sed ebrio ac vacillanti similis, spatioq; exiguo interjecto, post convulsiones insignes, in dorsum decumbens exspiravit. Meretur observationem inprimis, qvod subito copia humoris ingens, unde bullulæ excitatæ, os oculosq; irrigaverit. Corpore Turturis aperto, ita visa interiora: Hepar ex nigricante flavescens, sangvis in vasis omnibus coagulatus,

tus, manente etiamnum auriculæ in corde motu. Circa sangvinem & in cerebro & in corpore reliqvo coagulatum copia ingens humoris serosi in vasis apparuit; unde duo inprimis agere videtur Viperæ venenum, serosi scilicet humoris secretionem partisq; rubicundæ coagulationem promovere; unde credidere multi non coagulatum fuisse sangvinem, visâ fluidi ibi existentis copia qvod presso sangvine tinctura eliciatur loturæ carnium haud dissimilis. Intestina qvibusdam in locis intumuere. In orificio vulneris, unde emanans sangvis, in momento coagulatus.

11. Cum morsui Viperæ remedia plura apponant Franciscus Redi & Moyses Charras Parisiensis, unicum saltem à Boyléo celeberrimo tentatum experimentum memorabo, qvi vulneri à Vipera inflicto ferrum candens, distantiâ certâ, sæpius admovit, extracto q; hac viâ veneno, miseros plures à metu ac morte liberavit.

In Serpente mare.

1. Unica, ut in Vipera, auricula cordis.

2. Arteriæ asperæ pars anterior circulos medios efformat, posterior larga admodum, ubi adhæsit œsophagus. Paullò supra cor, pulmo conspectus, qvi unicus saltem, per ductum totum cavitate cellulis innumeris distinctâ. Substantia pulmonis crassior aliqvanto, illiq; non dissimilis qvæ in qvadrupedibus reperitur.

3. Parti pulmonis inferiori hepar geminum & oblongum adhæsit.

4. Infra hepar, Ventriculus in qvo humor viscosus integræq; adhuc aviculæ conspectæ.

5. Infra ventriculum canalis ejusdem pars, palmæ

mediæ longitudine, fibris carnosis solidata, ubi vermis interius repertus.

6. Infra corpus hoc, vesicula bilis, ad qvam ab hepate discendit canaliculus spithamæ longitudinem excedens. Figura vesicæ bilariæ inferius acuta, superius larga aliqvantulum & rotunda. A parte superiore descendens ductus, in ortu simplex inde bifidus versus glandulam albam, qvam pancreas crediderim, descendit, qvæ impositum sibi corpusculum rubellum, lienem forsan, habuerat. A vesicula descendens canalis in glandulæ hujus superficie binos canaliculos effinxit, qvorum ab hepate deductus, alter versus medium glandulæ propagatus. Ductus hi in locis variis concurrentes, plexum elegantem vasorum viridium in superficie glandulæ efformant qvi junctim inde per glandulam mediam in intestinum tendunt.

7. Quatuor ramos bilarios pergere ad intestinum vidi, sed aperto intestino, tria saltem ostia viridia apparuerunt.

8. Paullò infra hoc spatium testiculus dexter, infra dextrum sinister, & ab utroq; descendentia vasa spermatica, gyris innumeris intorta.

9. Infra testiculos, renes.

10. Circa finem intestini recti membrana qvædam extensa cavitatem format intra qvam circa medium dorsum foramina duo, sibi admodum vicina, conspiciuntur.

11. Duo Serpenti oblati passerculi, qvorum alter capite, alter cauda apprehensus & integer deglutitus.

12. Duo excrementorum genera in serpente visa, unum ex plumis invicem conglomeratis, alterum ex materia

teria albicante, ſicca, friabili, oſſiumq; diſſolutorum calci ſimillima.

In ſerpente alio, ex genere Viridium.

1. Per medium pancreas penetravit canalis bilarius. Ductus hepaticus, ubi ab hepate verſus pancreas ad ſpithamæ longitudinem deſcenderat, ad veſiculam fellis qvatuor digitorum intervallo iterum aſcendit.

2. Meſenterium nigerrimum, ut & ſuperficies interna veſicæ pulmonalis.


3. Hepar geminum, Spithamæ longitudinem æqvans.

4. Supra cor, ad intervallum aliqvod corpus è luteo rubeſcens, thymo reſpondens, præter tumores qvosdam hinc inde ſparſos, aqvâ rubicundâ plenos.

5. Ex plurimis exiguis corpuſculis renes coagmentati. Ren ſiniſter infra dextrum media ſui parte collocatus.

6. Teſticulus dexter, ſupra ſiniſtrum digitos quatuor elevatus; uterq; digitorum duorum longitudine.

7. Sub anum cavitas ſatis conſpicua in cujus medio papilla protuberat verſus qvam ureteres & vaſa deferentia duo confluunt.



a. ductus hepaticus deſcendens ad
(b) pancreas,

c. du

c. ductus hepaticus ascendens ad
d. vesiculam fellis.

CI.

De Asino Observationes Anatomicæ.
Olig. Jacobæi.

QVæ in fabrica animalis hujus interiore apud Anatomicum Londinensem, Eduardum Tyson, obiter visa, ita breviter notavi.

1. Nullus sub hepate inventus folliculus bilis, sed porus saltem bilarius. Nec in eqvo, cujus viscera pleraq; interiora cum animalis hujus ad amussim conveniunt, vesicula fellis ab aliis inventa. In eqvo Regio, Hafniæ dissecto, frustra illam qvæsivit Anatomicus noster Simon Paulli, licet diligentiâ summâ, ad rem penitius investigandam, hepar in frustula plura discerpserit. Blasium interim, in anatome Eqvi, folliculum bilis pugni magnitudine ipsiq; substantiæ hepatis insculptum reperisse refert in Actis Hafniensibus Caspar Bartholinus, Consobrinus amantissimus.

2. Tunica interior œsophagi ab exteriore qvodammodo libera, ut qvasi œsophagus duplex, alter alteri inclusus, appareat. Ubi protensus ad medium ventriculi œsophagus, fimbriis qvibusdam firmiter adhærescit figuræq; elegantiâ intuentes oblectat; coloris qvodammodo flavescentis, qvalis in ingluvie avium spectatur.

3. Prope rimam epiglottidis materia lactea transudans, qvam glandulæ ibi minores sitæ procul dubio effundunt. Quod à glandulis illis transudans materia, ubi acris nimium elaboratur, tussim caussetur in tracheam prolapsa, verisimile apparet.

4. He,



Malva monstrosa.
CAPUT Monstrosum.
Fig. I
d
e
a
b
c


Fig. II.
d
c
d
d
e
e
e
a
a
Obs. 102. Vol. 5.
obs. 129. Vol. 5



4. Hepar nigricans,& qvasi plumbeo griseus, qualis ab aliis in eqvo inventus.

5. Lien rubellus, figurâ glossopetræ.



6. Cor diaphragma non respexit, sed apice ad sternum, basi ad dorsum versâ & ad sternum perpendicolari.

7. Rarior figura renum, qvorum alter cordi, qvemadmodum vulgo à pictoribus adumbratur, alter retortæ Chymicorum similis.



CII.

Caput Monstrosum Infantis.
Olig. Jacobæi.

QVæ in capite infantis visa à Medico Anglo Vindsoriensi D. John, Amico integerrimo, ita breviter adumbravi.

Fig. I.

a. Membrana extensa & pellucida, aqvæ limpidæ librâ unâ referta.

b. Cerebrum, per membranam translucentem apparens, pondere unius libræ; qvod ab adstantibus hinc inde conqvassatum, ut in locum retrocederet; mortem infanti acceleravit. Qvatuor enim dies vix attigit.

c. Nasi vestigium ferè nullum, sed nares saltem exi-

Malva monstrosa.

CAPUT Monstrosum.

Fig. I





Fig. II.



obs. 129. Vol. 5

Obs. 102. Vol. 5.



4. Hepar nigricans,& qvasi plumbeo griseus, qualis ab aliis in eqvo inventus.

5. Lien rubellus,figurâ glossopetræ.



6. Cor diaphragma non respexit, sed apice ad sternum, basi ad dorsum versâ & ad sternum perpendiculari.

7. Rarior figura renum,qvorum alter cordi, qvemadmodum vulgo à pictoribus adumbratur, alter retortæ Chymicorum similis.



CII.

Caput Monstrosum Infantis.
Olig. Jacobæi.

QVæ in capite infantis visa à Medico Anglo Vindsoriensi D. *John*, *Amico* integerrimo, ita breviter adumbravi.

Fig. I.

a. Membrana extensa & pellucida,aqvæ limpidæ librâ unâ referta.

b. Cerebrum, per membranam translucentem apparens, pondere unius libræ; qvod ab adstantibus hinc inde conqvassatum, ut in locum retrocederet; mortem infanti acceleravit. Qvatuor enim dies vix attigit.

c. Nasi vestigium ferè nullum, sed nares saltem exi-

guæ. Cutis enim nasi & frontis per membranam memoratam ita in immensum extensa ut nasus disparerer.

d. Vertex capitis depressus.

e. Pars cranii vacua, è qva cerebrum elapsum, remanente cerebello.

Fig. II. a. Membrana à cerebro separata.
b. Cerebrum.
c. Cranium.
dd. suturæ cranii.
eeee. Cutis à cranio separata.

CIII.

Puella monstrosa hirsuta, & Infans ἀνόσεος.

Olig. Jacobæi.

INter alia in nundinis Londinensibus visa spectacula, pretio soluto monstrata est puella toto ferè corpore hirsuta, maculisq; subfuscis variæ magnitudinis hinc inde distincta. Plurimæ in corpore excrescentiæ carneæ sacculiq; in longum propendentes, ad tactum molliores; inprimis in dorso & circa ingvina. Latus sinistrum dextro hirsutius, & è maculis singulis pili prorumpentes. Loco vulvæ orificium rotundum pennæ anserinæ crassitiem vix æqvans. Sæpius abrasi pili iterum intra spatium menstruum repullularunt. Ex congressu matris cum simia, Mammonett dicta, fœtum hunc enixum alii divinarunt, cum salacissimum sit animal fæminamq; ante annos aliquot in Anglia compresserit. Spectata qvoq; est apud nos simiæ memoratæ salacitas, ante annos plures in arce Regia

Haf-


Hafnienſi exſtinctæ, qvæ fæminas libenter & cum laſcivia aſpexit. Præter hoc monſtrum, Briſtoliæ in Anglia monſtratus infans qvi oſſibus artuum planè deſtitutus, ut brachia & manus, crura pedesq; ad arbitrium noſtrum chirothecæ inſtar flecti ac circumvolvi poſſent. Puerum ἀνόστεον jam pridem ſuo tempore vidit Hippocrates.

CIV.

Cornu in palpebris enatum.

Olig. Jacobæi.

MUlieri annorum qvinqvaginta protuberavit in palpebris tuberculum minutum, ciceris magnitudine, qvod mole inde duritieq; qvotidie accreſcens in cornu inflexum degeneravit, cum, conſilio Chirurgi ſpreto, illud mulier abſcindi initio nollet, tandemq; inter rariora magni Ducis Hetruriæ aſſervatum. Pars cornu inflexa deorſum ſpectavit, partem mediam palpebræ ſiniſtræ infeſtans, colore cornu cervini æmulo, inprimis circa radices in oculo diſperſas. Cum motu muſculorum frontis cornu ipſius motus coincidit. Hiſtoriam ipſam cum figura adjuncta ſuggeſſit *M*edicus Florentinus Joan. Cinelli, Amicus magnus.



De muliere Purmerenti in Hollandia ſeptentrionali non abſimile qvid refert Bartholinus Illuſtris Hiſtor. Anat. Cent. 1. qvod ex mœrore filii prodigi tumorem primò in dextra capitis parte ſupra muſculum temporalem obſervarit, qvi in cornu tandem excrevit digitos duodecim longum, craſſitie duritieq; cornu caprini.

CV.

Aſellus ſeu 'Ονισκος *vivus cum lotio excretus.*

Olig. Jacobæi.

CUm ad calculum debellandum pulvis inſecti hujus cum fructu propinetur, ab eodem ſæpius aſſumpto levamen qvoq; ſenſit calculoſus Anglus, lapidesq; & arenulas copioſas in matulam deturbavit. Poſtqvam autem remedio huic diu inſtitiſſet, ſenſit demum in ductu urethræ dolorem ac titillationem inſolitam, calculumq; ibi hærentem ratus, cum lotio excrevit aſellum vivum, planè albicantem, ſine calculis ullis in matulam deturbatum; qvem inter rariora ſervat *A*natomicus *L*ondinenſis Eduardus Tyſon & curioſis monſtrat. Forſan in pulvere aſſumpto vel delituere ova, unde generatum inſectum, vel vivum antea ab inſcio hauſtum tandemq; iterum excretum, qvemadmodum aſſumpta plura ac deglutita per vias urinarias ſæpius exiere. Acus per qvinq; annos in corpore hærentes cum urina redditas Claudinus notat & decem Patavii à puella deglutitas per vias urinarias exiiſſe ferunt. Sic Poſonii in Ungaria, qvidam ſuppreſſione urinæ & in latere dextro doloribus excruciatus, cum Nephriticus à Medico judicaretur, oſſiculum demum pruni

Da,

Damasceni, antea deglutitum, cum lotio excrevit. De Polono Bartolinus refert Hist. Anat. Cent. IV. qvod ab usu medicamentorum nephriticorum arenulas excreverit cum insectis vivis nigricantibus forma scorpionis sed magnitudine dispari. Lotium redditurus semper in ductu urinario & circa lumbos deprehenderat æger dolorem vermiculantem. Vixerant insecta per triduum.

CVI.

De Renibus canum.

Olig. Jacobæi.

VAria figura renum, vel naturæ ludentis vel morbi vitio, in corporibus conspecta. Vidimus in cane venatico Cancellarii Illustris Oligeri Vindii, qvem Steno dissecuit, renem dextrum magnitudinis naturalis, sinistrum verò nuci avellanæ vix parem. Carnis tantillum aderat cum reliqviarum membranæ interioris facie confusa. A vermibus forsan exesus, cum renes canum sæpius infestent. Observavit Sennertus totam renis unius substantiam planè absumptam, superstite saltem tunicâ eam ambiente, qvæ tota vermibus longis, lumbricorum instar, referta.

Explicatio Figuræ Renum.

A. Ren dexter.
B. Ren sinister.
C. Truncus venæ cavæ descendens.
D. Truncus arteriæ magnæ descendens.

E. E. Venæ emulgentes.
F. F. *A*rteriæ emulgentes.
G. G. *U*reteres.

CVII.

De Cultrivoro & Pyrophago Londinensi, Olig. Jacobæi.

DE Circumforaneis notum, qvod liqvore arcano ita manus muniant, ut plumbũ fervens ac fusum, prunas candentes, ferrum ignitum, aliaq; non sine spectantium admiratione sine damno ferant. Fuit qvidam Sigardus Brabantus, qvi, ut innoxiè ferrum tractaret, gramine in ædibus Bergensium crescente manum perfricuit, qvod sempervivum fuisse putat Bartholinus celeberrimus de Medicina Danorum. Ungventum qvô illitæ partes ignem eludunt ex succo altheæ totius cum radicibus expresso, oleô sambucinô, alumine rupeo crudo, & cerâ novâ lentô igne ad consistentiam coctis ibidem descripsit. *An* artificiô tali vim ignis eluserit Londinensis qvidam, non dixero, qvem ferrum candens manibus tractare, laminas ignitas lambere, massam ex pice, sulphure, lacca, resina, cera totam flammantem in ore volvere ac masticare cum stupore aspexi. Taceo prunis candentibus, qvæ in ore detentæ, follisq; ministerio accensæ, ostrea cruda imposita in momento assata. Os hominis, palatum, lingvam inspexi, ut qvid monstri intus aleret, explorarem, sed nec liqvoris, nec ungventi illiti vestigia deprehendi. Lapides inde decem vel duodecim rotundos avellanæ magnitudine devoravit, qvos, ventri nudo admotâ manu, ex collisione qvadam descendisse percepi. Rogatus cur rotundos

dos assumeret, ab angulatis se lædi dixit, qvod per posteriora deturbati sangvinis fluxum antea proritaverint. Si verbis illius fides, Hypochondriacum appellarem ob murmura & borborygmos in abdomine auditos, & in ore salivam uberrimam, cujus forsan ope materia flammans ori injecta felicius exstincta, certô tempore adventantem lipothymiam, nisi mox injectis lapidibus ferroq; malum compesceret, ut fermenti acrimonia, qvalis in Struthionum stomacho ferrum digerentium, hìc inprimis peccaverit. Quæ coram Rege *A*ngliæ Serenissimo aliisq; Aulæ Proceribus præstiterit, ab Anatomico Londinensi solertissimo Edvardo Tyson communicata hìc inferentur.

Anno *1675* die 1 May in præsentia Eqvitum plurium ac Nobilium aciem gladii ulnæ longitudinis in frustula prius diffractam devoravit.

Anno eodem, Mense Novemb: coram Rege Angliæ cultros duos & novaculam manibus, ne fraus ulla subesset, post tergum ligatis, deglutivit. Rex ipse cultrum unum ori ejus immisit, Dux Eboracensis alterum, & Nobilis adstans novaculam: qvæ singula die lunæ assumpta per alvum iterum excreta die *Jovis* inseqvente. Cultrum unum pecuniâ comparatum inter rariora servat Medicus Regius Londinensis D. Walden, cum Historia rei, ope, ut opinor, aqvæ fortis, cultro incisa.

*A*nno eodem, *M*ense Augusto, cultrum lanionis digitorum novem longitudine cum vagina integra devoravit, qvi novem postea dierum intervallo, vaginâ ferè exesâ, per posteriora exivit. Cultrum alium manubrio spoliatum, postqvam integer devoratus in intestinis delituisset, curiosis ostendit laudatus Tyson.

Anno *1676*. Mense Aprili cultrum alium devoravit, cujus

cujus manubrium testâ testudinis obductum, cum alvo ex cerneretur, exesum ferè & corruptum apparuit, & acies cultri non secus ac ab aqva forti corrosa ferè & absumpta. Nullos ante exitum horum sensit cruciatus, licet dolores qvosdam cum suborta nausea lancinantes ab aliis perpessus. Ichor interdum tenuis & rubicundus per vomitum rejectus, qvi saporis ingratissimi chalybémq; referentis per horæ dimidium palato infestus. Nigricant ab assumptis excrementa, bulimus causatur, & fluctuantes in corpore humores ac borborygmos exaudit.

Lapides triginta tempore aliô injectos per alvum excrevit, horis qvandoq; viginti qvatuor, qvandoq; octo, interdum qvadraginta octo in corpore retentos.

Ab haustu vini albi transitum lapidum, qvos assumpsit, accelerari, spatioq; horarum sex deturbari per inferiora asseruit. Sæpius hoc vinum ingurgitavit, ut à cultris duobus intus restitantibus liberaretur, qvorum unum die Veneris, alterum die lunæ inseqvente deglutiverat. Nocte proximâ pintam hausit vini memorati, & mane proximo hora decima per alvum uterq; feliciter excretus, cum aqva atramenti instar nigricante; lapides rotundos qvatuor vel qvinq; qvotidie fere assumpsit, ut redundantem in ventriculo aqvositatem, qvæ sæpius deliqvium causata, subitò compesceret, cum mirum hoc remedii genus nunqvam fefellerit. Nummos varios æneos & argenteos sine noxa assumpsit, imò baculum vitreum breviorem, qvi per dies qvatuor in corpore retentus, cæruleo demum infectus colore, & velut ab aqva Stygia corrosus per alvum exivit. Bacillus alius è ligno buxi, postqvam per septimanas sex in intestinis delituerat, in frustula demum disruptus similiter eliminatus. Clavis ferrea assumpta dierum novem intervallô carbonis instar nigerrima tandem exivit, culterq;,

terǫ́; , qvi ductum inteſtinalem ter decies permeaverat, qvippe toties deglutitus, ſimiliter excretus.

Ut obiter adjiciamus, Annô 1678 Menſe Juliô cultrivorus memoratus amicum vidit, qvi bufonem integrum turgidum, maculisǫ́; inſignitum promptè devoravit, poſtqvam beſtiolam manu leniter palpâſſet, lotium illa emittens, ad diſtantiam ulnarum qvatuor, os Viri apertum ſponte ingreſſa eſt, ac deglutita. Per ſpatium inde horarum qvatuor, donec hoſpes inſolitus exſpiraret, miſeros præ dolore ejulatus edidit, in partes omnes, trabes, ſcamna, & qvicqvid ſors obtulerat, prolapſus.

Quæ de Boruſſo Cultrivoro *Beckerus* fiſtulaǫ́; deglutita, ac die tertio per alvum excreta in Hiſtoriis Anatomicis Bartholinus refert, ob rei ſimilitudinem legi merentur.

CVIII.

De Verme dentium.

Olig. Jacobæi.

QVidam odontalgia immani ac periodica vexatus, ſenſit in dente qvid ſaliens, per temporum intervalla, cui remedia plura in caſſum adhibita. Abraſâ demum carie dentis, in vaſculum ſubjectum vermem expuit, qvi capite ad caudam reflexo ſaltus varios iteravit, foramine inſigni, per qvod exierat vermis, in dente conſpicuo. Qui vermes ſuffitu hyoſcyami, ſevo cervino gingivis impoſito aliisq; e dente elicitos pro fibrillis habent, ab experimento hoc ſæpius laudati Tyſon aliter erudientur.

---

cujus manubrium testâ testudinis obductum, cum alvo ex cerneretur, exesum ferè & corruptum apparuit, & acies cultri non secus ac ab aqva forti corrosa ferè & absumpta. Nullos ante exitum horum sensit cruciatus, licet dolores qvosdam cum suborta nausea lancinantes ab aliis perpessus. Ichor interdum tenuis & rubicundus per vomitum rejectus, qvi saporis ingratissimi chalybémq; referentis per horæ dimidium palato infestus. Nigricant ab assumptis excrementa, bulimus causatur, & fluctuantes in corpore humores ac borborygmos exaudit.

Lapides triginta tempore aliô injectos per alvum excrevit, horis qvandoq; viginti qvatuor, qvandoq; octo, interdum qvadraginta octo in corpore retentos.

Ab haustu vini albi transitum lapidum, qvos assumpsit, accelerari, spatioq; horarum sex deturbari per inferiora asseruit. Sæpius hoc vinum ingurgitavit, ut à cultris duobus intus restitantibus liberaretur, qvorum unum die Veneris, alterum die lunæ inseqvente deglutiverat. Nocte proximâ pintam hausit vini memorati, & mane proximo hora decima per alvum uterq; feliciter excretus, cum aqva atramenti instar nigricante; lapides rotundos qvatuor vel qvinq; qvotidie fere assumpsit, ut redundantem in ventriculo aqvositatem, qvæ sæpius deliqvium causata, subitò compesceret, cum mirum hoc remedii genus nunqvam fefellerit. Nummos varios æneos & argenteos sine noxa assumpsit, imò baculum vitreum breviorem, qvi per dies qvatuor in corpore retentus, cæruleo demum infectus colore, & velut ab aqva Stygia corrosus per alvum exivit. Bacillus alius è ligno buxi, postqvam per septimanas sex in intestinis delituerat, in frustula demum disruptus similiter eliminatus. Clavis ferrea assumpta dierum novem intervallô carbonis instar nigerrima tandem exivit, culterq;,

terq; , qvi ductum intestinalem ter decies permeaverat, qvippe toties deglutitus, similiter excretus.

Ut obiter adjiciamus, Annô 1678 Mense Juliô cultrivorus memoratus amicum vidit, qvi bufonem integrum turgidum, maculisq; insignitum promptè devoravit, postqvam bestiolam manu leniter palpâsset, lotium illa emittens, ad distantiam ulnarum qvatuor, os Viri apertum sponte ingressa est, ac deglutita. Per spatium inde horarum qvatuor, donec hospes insolitus exspiraret, miseros præ dolore ejulatus edidit, in partes omnes, trabes, scamna, & qvicqvid sors obtulerat, prolapsus.

Quæ de Borusso Cultrivoro *Beckerus* fistulaq; deglutita, ac die tertio peralvum excreta in Historiis Anatomicis Bartholinus refert, ob rei similitudinem legi merentur.

CVIII.

De Verme dentium.

Olig. Jacobæi.

QVidam odontalgia immani ac periodica vexatus, sensit in dente qvid saliens, per temporum intervalla, cui remedia plura in cassum adhibita. Abrasâ demum carie dentis, in vasculum subjectum vermem expuit, qvi capite ad caudam reflexo saltus varios iteravit, foramine insigni, per qvod exierat vermis, in dente conspicuo. Qui vermes suffitu hyoscyami, sevo cervino gingivis imposito aliisq; e dente elicitos pro fibrillis habent, ab experimento hoc sæpius laudati Tyson aliter erudientur.

CIX.

De Phosphoro Hermetico & Sepiæ luce.

Olig. Jacobæi.

INter alia, qvæ lucem in tenebris spargunt, ut cornu, fungi, coria angvillarum & leucifcorum detracta, sqvamæ & oculi piscium, ostrea, lampyrides, oculos inprimis pascit phosphorus ille, qvi à Christophoro Baldvino Hermeticus appellatur sive aurum auræ, variaq; de corpore eodem à Chymico Londinensi ingenioso Friderico Slare tentata experimenta & inservientes præparationi circumstantias publico offeremus.

1. Primâ statim aurorà splendor ejus major est ac rubicundior, qvàm tempore diei medio. Vergente in occasum sole, postqvam aëri expositus phosphorus memoratus, splendor sensim decrescit, colore in pallidum mutato. Ubi horizonti subductus Sol, pallidior adhuc color, matris perlarum æmulus, conspicitur.

2. In vacuo Boyléano seu machina pneumatica, more splendentium aliorum ut piscium, carnium, lignorum, lumen non amittit sed instar ferri candentis igneus apparet & rubicundus.

3. Ubi ab igne primò remotus, non splendorem saltem, qvalis modo apparet, ex se dispergit verùm & flammam ipsam ferè cæruleam qvæ aerem ambientem circumqvaq; illustrat.

4. Consistunt particulæ lucentes ex flavescente substantia corpori ad recipiendum apto impressâ, qvæ non fixa sed volatilis adeo ut, nisi gradus ignis ritè gubernetur, facillimè avolet.

5. Ille observandus est ignis gradus ut perpetua fiat

ma-

materiæ ebullitio, sine qva particulæ lucentes veram non induunt figuram nec colorem optatum sed albicantes apparent aut saltem à flavedine alienæ.

5. Modus administrandi ignem per reverberationem fiat, ita ut materia ipsa maneat in fundo frigidiuscula, ignisq; ope tegulæ interpositæ in illam agat, via non dissimili qva aurum argentumq; cupellatur. Hoc qvippe modo spiritus isti volatiles retenti melius ac suppressi, ut in parte vitri convexa potentius figantur, qvos, nitrosos verè ac aëreos, splendoris phosphori causam existimo.

Quoniam de rebus lucentibus sermo, in piscium qvoq; officina radios splendoris, & inprimis in pisce polypo, emicantes vidimus.

Ex apertis cultro anatomico polypis tantus effulsit splendor, ut remotâ tempore vespertino candelâ, Palatium Pisanum sectionibus tum temporis assignatum, ardere videretur; & intranti subito timorem incuteret. Lumen maximum qviddam sub cute latens, non caro ipsa, emisit, & qvò vicinior putredini piscis, eò luxit ardentius. Ungvibus digitisq; pisci admotis ita splendor adhæsit, ut qvasi totidem stellis singuli fulgerent. *Luxit* præterea, sed segnius, liqvor ille nigricans atramentum dictus qvo Polypus abundat subitoq; è corpore effuso aqvas infuscat ac se abscondit; facto à nobis rei experimento. Atramentum illud bilem esse in vesica sua contentum deprehendi, qvod atramento scriptorio pingviori & gummatibus saturato ita simile, ut exaratas eo literas amico qvondam transmiserim.

De lucentibus aliis scribit eruditè, lucemq; Lectori fœneratur sidus Daniæ fulgentissimum Thomas Bartolinus, qvi famâ ingenti ad miraculum lucet.


CX.

Iridem non esse in Nube rorida, juxta mentem Aristotelis & veterum aliorum, sed guttis aqvæ cadentibus.

D. Erasmi Bartholini.

NOn qvia legem dixerim mihi nihil contra sententiam recentiorum aut magni philosophi Renati Des-Cartes statuere; hanc observationem trado; sed qvia res ipsa postulat me ire in illius sententiam qvi existimat arcum cœlestem fieri in eâ parte aeris in qva pluit, atq; singula stillicidia pluviæ cadentis, singula corpora esse, ex qvibus Iris constat, & à singulis lumen Solis reflecti & refrangi, qvæ, contra intuenti continua apparent, atq; arcum, sed dimidio circumscriptum ductu signant; nec despici intervalla, qvibus singula distant, spatio prohibente discerni. Id posse qvidem ita fieri variis experimentis demonstratum est; nempe, cum fistula aliqvo loco rupta est, aqvam videmus per tenue foramen elidi, qvæ sparsa contra Solê obliqve positum faciem arcus repræsentat, in qvo aliquid flammei, aliqvid lutei, aliqvid cœrulei vident astantes, id qvod in organis hydraulicis, aliisq; satis patet. Nihilominus & Aristoteles, & Antiqvorum plurimi in ea fuerunt sententia, Iridem fieri potius in nube rorida. Ita enim Seneca in qvæstionibus naturalibus: *illud*, inqvit, *esse dubium nulli potest, qvin arcus imago Solis sit, roscida & cava nube concepta.* Deinde; *illud nego, ex stillicidiis constare nubem. Habet enim qvædam ex qvibus stillicidia fieri possint, non ipsa. nec aqvam qvidem habet, sed materiam futuræ aqvæ.* Ergo ne amplius ut hypothesis admittatur hæc propositio, etiamsi nullus possit ad locum ubi videtur Iris, eo momento qvo apparet, accedere, cum ne-

necessarium sit ut oculus sit inter Solem & Iridem, eo tempore qvo Iridem conspicit, consideretur seqvens observatio. Forte peregre profectus Hauniamq; rediens nondum inclinato jam die, animadverti Iridem, cujus arcus plurimum videbatur porrigi atq; incurvari. Superior pars cœli cui affundebatur, erat nubibus obducta; sed eo loco ubi in humum demittebatur admodum serenum erat cœlum, cærulo colore conspicua. Iridis tamen effigies implevit totam circumferentiam arcus, non tantum in ea parte qva nubes maxime ingravescebant, sed etiam ubi aër limpidus constitit versus horizontem. Neq; serena ea pars cœli nimis angusta mihi apparuit ut visum fallere possit, neq; arcus istius pars qvæ descendit terra tenus, reliqva parte, qvæ nubes à dorso habuit, multum obscurior erat, qvin facile totum arcum signatum Iride continua perspicerem. Adeò ut facile hinc existimari possit, arcum factum fuisse in ea parte, in qva pluit, atq; singula stillicidia pluviæ cadentis, fuisse partes istius arcus, qvem visus noster, deceptus in nube constituit. Ad qvorum intellectum adjecimus seqventem figuram



ABC. Iris
AD, EG, partes Iridis in limpido aere
FG, pars cœli nubibus obducta
H. Sol.
I. Oculus.

CXI.

De Mixtione Syruporum cum aqvis.

Erasmi Bartholini.

VAriis experimentis persvademur mixtionem corporum liquidorũ fieri particulis singulorum occulto itinere subeuntium, qvæ per multiplices anfractus motæ, naturalem faciem in tanta particularum varietate exuunt & in unius corporis liqvidi speciem à priore diversi transeunt. Multis qvidem videtur eodem rem recidere, sive corpus miscendum infundatur corpori miscibili, sive hoc cum illo confundas. Tamen varia impedire possunt, qvo minus æqve commode mixtio fiat. Exemplum aliqvod videbimus in observatione hac mixtionis syruporum cum aqva. Si enim syrupis admisceatur aqva, statim aqva Syrupos combibit & in se trahit. Contra, si aqvæ admisceas Syrupum, non absorbet aqva statim qvicqvid in se infusum est, sed Syrupus in fundum dimittitur gravis, & segnis ibi residet, donec motu commoveatur. Quare solent ij qvi aqvis destillatis admiscent Syrupos, motu efficere ne Syrupi in fundo permaneant, ut sparsæ per aqvam particulæ syruporum, faciem Julepi repræsentent. Cujus desidentiæ causa in gravitate particularum viscidarum syrupi statui potest, qvæ concitatæ protinus convertuntur in humorem qvi illis præsto est. Neq; substantia utriusq; hic deficit, cum omnium particularum alterni recursus sint,

fint,& qvod alteri compofito perit,in alterum tranfit. Facilis autem videtur tranfitus particularum aqvæ, qvia jam motu inteftino agitatæ, illas per qvas tranfeundum eft particulas fyruporum vifcidas divellunt infufæ, & portionum refiftentiam turbant, qvæ cohærentes præponderabant.

CXII.

Pulveris corticis China-Chinæ ufus contra febrim qvartanam in Dania probatus.

Erafmi Bartholini.

ANte aliqvot annos cœpit autoritas pulveris hujus febrifugi in pretio effe, qvem non diu poft fingulari opufculo ventilavit celeberrimus Iacobus Chifletius, qvo gratiam ejus potius improbavit qvam laudavit. Deinde defenfionem ejus fufcepit R. P. Honoratus Fabri (ficto licet nomine Antimi Conygij adfcripto opufculo Romæ edito Anno 1655) atq; tam propria experientia qvam multorum obfervatione utilitatem ejus commendavit. Celeberrimus vir Villifius poftea,multis experimentis edoctus ftatuit libro de febribus, eximias effe hujus pulveris vires in febri Qvartana debellanda; id qvod & nobiliffimus Rob. Boyle teftatur in diverfis editis à fe fcriptis. Qvare neq; nos decuit ufum ejus in terris hifce Septentrionalibus falutarem fuiffe filentio prætermittere, ut optimis rebus honos inprimis habeatur, neq; in medicamentorum cognitione confeffa cum ancipitibus & obfcuris confundamus. Anno 1679 Epidemica in hifce oris fævijt febris qvartana,pluresq; omnis conditionis mortales infeftavit, magis tamen extra civitatem Hauniam qvàm in ipfa ur-

b:

be. Æstas præcesserat calidissima sine pluviis ferè tota translacta, qvæ videbatur non minima causa fuisse hujus febris. Me qvoq; autumno invalerat ægritudo. Rediens qvippe Hauniam mense Octobri postqvam in prædio meo Lindholm rusticatus animi relaxandi gratia essem, sentij die 25 ejusdem mensis rigorem toto corpore, qvem paulo post insecutus est modicus calor qvi tum non admodum gravis erat. Sed inseqvens post diem tertium accessio majores vires attulit, atq; hoc suo typo qvartanã prodidit. Nam hac vice notabantur pleræq; febres qvartanæ non tam rigore qvam calore infestæ. Præmissis ergo universalibus medicamentis, purgantibus & sudoriferis, cum in tertiam hebdomadem durasset febris, viresq; admodum debiles reddidisset, cœpi cogitare de pulvere febrifugo ex cortice China China, cujus usus nondum hic admodum celebris erat. Cognoveram tamen olim, valde eum conducere huic morbo eo tempore cum Romæ olim innotescere ejus virtus cœperat, unde etiam aliqvot doses mecum domum attuleram qvæ jam consumptæ & amicis impensæ erant. Assumpsi igitur incipiente paroxysmo pulveris istius ℥j. infusi aliqvot horis ante in vino albo Gallico; qvo facto, paroxysmus solitas vires exercuit, licet mitius. sed seqvens paroxysmus plane intermisit.

Quare cum non nescius essem præcipuam ejus pulveris noxam esse, in eo qvod paroxysmum qvidem tollat, sed qvin per aliqvot dies redeat prohibere non possit, & sæpe tum in duplicem qvartanam transeat, in memoriam mihi revocavi antiqvum axioma politicum posse qvoq; in Medicina locum habere, melius esse prævenire qvam præveniri; sæpius pulveris hujus eandem dosin repetere voluí

lui ineunte paroxyſmo,ut ſiqva pulveris virtus eſſet in expellenda febri , eadem qvoq; in ea præcavenda valeret. Neq;eventus fefellit. Nam cum multis vicibus iteraſſem hanc medelam,non rediit unqvam febris, & Dei gratia liber evaſi; neq; graviora ſymptomata perpeſſus ſum,qvam qvibus ſæpius antehac per intervalla eo anni tempore, meo temperamento maxime infeſto,ſolitus eram, nempe flatibus hypochondriacis,capitis dolore & ſimilibus, qvæ ſolent Scorbuto attribui. Meo exemplo multi edocti pulveris hujus uſum tentarunt,omnes ferè proſpero eventu,niſi vel ipſi nimia intemperantia fallerent ſpem medicamenti, vel non rite uſi eſſent præſcriptis. Domeſtico qvoq; meo præcepi eandem medicinam, ſed qvia robuſtiori corpori majorem ſvaſi doſin,nam drachmarum duarum pondus fuit pulveris. Neq; fruſtraneum erat conſilium, nam deſiit ſimiliter paroxyſmus, qvamvis non ipſa febris, qvæ qvia neglexerat ſæpius idem repetere medicamen, ſicuti ſvaſeram,rediit aliqvo tempore interjecto,duplici paroxyſmo infeſta; ſed ejusdem pulveris uſu mox liberatus ab utraq; eſt, & iterum iterumq; rediens eodem modo deſiit. Adeò ut veriſſimum eſſe deprehenderim qvicqvid laudati autores de hoc pulvere bono publico divulgarunt; neq; in hiſce terris minorem eſſe ejus nobilitatem, qvam in Meridionalibus. Eſt ſententia Hippocratis, illa qvæ reliqvuntur in morbis recidivas parere; & recidivas deinde majoris mali periculum afferre, notum eſt. Non video tamen cur ab hoc pulvere abhorreant multi qvia ejus uſus ſemel probatus recidivas præcavere non poſſit, cum aliqvoties iteratus facile id præſtet. Id qvod convenit omnibus ferè aliis remediis, qvæ non niſi ſæpius uſurpata proſunt. Neq; ideo proſcribendum ejus uſum exiſtimaverim qvod paroxyſmum abſq; ulla evacuatione evidenti

tollat, primò qvia necesse est corpus rite esse præparatum, deinde, qvia oportet ægrum nihil omittere eorum qvæ methodus medendi præscribit. Multa qvoq; medicaminum essent rejicienda ex hoc fundamenro, qvod operentur sine evacuatione vel ratione sensibili. Quæ cum ita sint, amplectimur grata mente Divinum hoc beneficium, & efficacissimum hoc medicamentum, qvod præsentaneo remedio tollit, paroxysmum & morbum, cæteris paribus; qvæ utilitas raro ab aliis speratur; adeoq; auxilium hujus qvo contra qvartanas pollet hic commemorari debuit, præsertim in tanta inopia præsentaneorum medicaminum.

CXIII.
ERASMI BARTHOLINI
De
AERE HAUNIENSI
Ad
PETRUM RESEN
Sacræ Regiæ Majestatis Consiliarium & Assessorem in Curia Iustitiæ, Præsidem Urbis Hauniensis.

VIsum fuit mihi olim, ex bono publico omnium fore si cognitio aëris Hauniensis, non inculta, aut deserta penitus jaceret: curam autem hujus rei ut susciperem ego, utq; præclarum hoc institutum adjuvarem, multa svaserunt; uti hac via, non tam patriæ, qvam urbis commoda atq; ornamenta augerem: Imprimis cum viderem nostrorum multos proximorum incuriosos, longinqva sectari.

Qvam

Qvam multa in terris hisce ſeptentrionalibus non oculis modo,ſed ne auribus noverunt? qvæ ſi tuliſſet Italia, Gallia, Anglia, Germania, audita, perlecta, luſtrataq; haberent. Mea enim ſic eſt ratio, nimiũ illos à vero recedere, qvi, ut ſcientiæ ſibi ſubſidia, vitæq; ornamenta qværant, exiſtiment gentes mari diremptas alioq; Sole calentes terras omnino eſſe freqventandas, qvaſi in manu aliorum, vel ſapientia noſtra, vel virtus eſſet. Exteris regionibus ſua bona non invidemus; ſed patet & hic omnibus honoris & gloriæ campus, ex qvo qvisq; qvod cupit petat. Propoſita ſunt virtuti præmia, juvenibus exempla; modo ſuæ induſtriæ, magis qvam rumoribus velint credere nec ſuæ deſidiæ prætendere alienam. Sed fateor ingeniorum nuſqvam tantam eſſe felicitatem, ut omnium rerum & inventorum copiam ſic poſſideant ſola, qvin aliorum adjectione egeant: neq; Commercio gentium rupto ſocietatem generis humani, cœtusq; diſſolvendos eſſe innuo; ſed hoc declaro, ad noſcenda ea iter ingredi multos, atq; maria transmittere ſolere, qvæ ſub oculis poſita negligunt, & inventuros ſe apud noſtros ſpondeo, qvæ eminere poſſint ingenia maximorum virorum, unde, audiente invidia, poſſint exteri ſumere exemplar; diſcantq; experimento, refudiſſe dudum exteris nos ſuas copias; qvas ſi cum fœnore repoſcant, putent nos plena manu ſolviſſe; neq; magis jam ſuorum apud ſe bona, ad nos, qvam noſtrorum ad eos pertinere. Supervacuum eſt omnium cauſſam agere; qvis enim ignorat qvantas Tu, Vir Ampliſſime, ad hoc propoſitũ attuleris facultates, qvantum allaboraveris, ut qvicqvid fortuna ſeculorũ concuſſerũt ex patriæ monumentis in ſuũ decus reſtitueretur ac reponeretur. Neq; longiꝰ te, vel per devias valles, vel per invios colles deferri patiar. In patentia urbis loca deveniamus. Cognoſcunt cuncti haud dubiè,

biè, qvam necessarium sit scire ea, qvæ maximè valetudinem hominum tentant; tamen qvis colli patrij, hujusq; urbis Hauniensis temperiem probè examinavit? qvis, qvibus maximè infestetur ventis probe callet? Seu, qvod harum rerum cupido langvescit, qvum facilis occasio est; seu, qvod differimus consideraturi, qvod datur examinare, qvoties velimus animadvertere. In ultimas licet terras discedamus, peregrinatione tam longa, & tot locorum varietatibus non discemus, qvæ loca urbis, qvi venti, nostræ saluti maxime insidiantur. Ergo, cum multum peregrinaverimus aliqvando domum redeundum est; sensu proverbii Danici utar, Cum Orientem Occidentemq; lustraveris, nulla nobis videbitur hospitalior patria, maximeq; jucunda, qvam soli natalis contemplatio. Quâ dulcedine, Te, Vir Amplissime, trahi, cùm variis experimentis declaraveris, procedam per varia hujus urbis loca, atq; inqviramus qvales venti in nostras sedes maximè efferantur, qvalesq; aërem temperent, utilem noxiumve tracturis. Solicitæ deambulationis paulisper comes idem & interpres ero. Quam regionem spectare debeant urbes, vetus dissensio est. Svasu Medicorum optimum situm urbis eligunt *Architecti*, qvo aer, calore & frigore temperetur, qvi neq; depressus hyeme pruinis torpet, aut torretur æstate vaporibus; neq; elatus in summa montium, perexiguis ventorum motibus, aut pluviis, omni tempore sævit. Hæc positio autem, qvam desiderant, difficilis & rara paucis contingit; animo æqviore ferre debemus huic proximam, qvæ plurima ex his habet; & tolerare etiam eam qvæ non paucissima. Quibus nam ventis frontem habeat adversam urbs Hauniensis qværis, & qvibus aversam. Qua vergit ad Septentriones, collis obstat clementer & molliter assurgens, qvi ab urbe distat spatio ferè duorum

mille

mille passuum, amœnissimus, & naturâ factus ad animum multis modis pascendum, atq; omni honestâ voluptate explendum, qviq; urbem qvasi ante pedes positam prospiciat, camposq; non æqvissimâ sitos planitie, sed exiguè pronâ. Quà Circius spirat nemorosus & herbidus. In reliqvâ parte collis villæ variæ sitæ sunt. Qvæ, ad Libonotum extenduntur partes, vario & multiplici curvamine unam faciem longe lateq; contexunt; sub qvibus latâ & diffusâ planitie, prata florida & gemmea, perennibus rivis nutriuntur. Sub his, stagna inter urbem porriguntur. Quia, non tantum devexa terra, qvicqvid liqvoris accepit, nec absorbuit, in hæc effundit, sed &, virentissimam planitiem, lenibus aqvarum rivulis intersectam, humorem videmus deferre in hæc qvasi aqvarum receptacula, usq; ad diversa, constitutaq; urbis loca, ligneis canalibus mittendum. Diversas cœli partes ac prospectus reliqva urbs habet. Ad Meridiem eminet antiqvissimum Regis Palatium. Vides littora in portum recedentia, & Castellum in littus excurrere, qvà spectat Septentrionem urbs, & plagam Zephyro-Boreæ Septentrioni proximam; qvod, si qvando Aqvilone, & Cæcia mare impulsum est, fractis jam & novissimis fluctibus leviter alluitur. Hoc adjacens mare, non longius qvidem qvàm Eurum usq; securè intuetur; spatium modicum, qvod tamen sentiat ventos, & fluctibus intrumescat. Excipit hoc, Insula dicta *Amagria*, ab urbe angusto intercisa freto, Notapelioti & Phœnici objecta, qvæ, nisi ab hac parte, qvæ urbem spectat, aqvis currentibus, & profundo alveo cingeretur, qvæ tenue discrimen objiciunt, urbi adhæreret, nec speciem insulæ præberet. Noto & Libanoto advertitur urbs alteri maris parti, qvæ *Amagriam* & Sælandiam interfluit. Magnam rem putato, adhibere in morborum curationibus, hanc ex aeris &

ventorum licentiâ, in morbis considerationem, ingens qvoq; instrumentum ad tutelam sanitatis. Alia enim conditio est morborum, corpora hominum vexantium Romæ, qvàm Hafniæ, qvoq; notiores sunt Medicis istæ differentiæ, eò plus ad emendationem infirmitatum proficient. In Borealioribus, justior est venia, in his qvæ modum excedunt, qvàm in Meridiem spectantibus; in qvos si eadem incurrat injuria, non eadem exempla defendent. Gal. lib. 3. Epid. refert se cum Asclepiade observasse evacuationem sangvinis per venæ sectionem copiosè institutam in Pleuriticis, nulla ratione ad sanitatem conferre Romæ & Athenis, qvam salutarem semper in Hellesponto expertus erat; cujus rei causam refert ad Ventorum graves offensas, qvibus, flatus Australes, Romam reddunt obnoxiam, cum Hellespontus Septentrionalibus gaudeat. Sanctorius, imprudentiæ accusat eos, qvi spirante Austro, multum moderatius vero flantibus ventis Borealibus, jubent evacuare; non advertentes, contrarium pro hisce esse in sua regione patrocinium, cum iis vires roborandi magna sit potentia, Australes contra, virtuti naturali semper obstitisse observatum sit. Terra circumfusa est undiq;, hac animabili, spirabiliq; natura, qvæ mari terræq;, continuata & juncta, magna in se, ad temperiem & salubritatem locorum habet momenta. Aer ille est, qvem vitali reciprocamus spiritu, cujus tenuitate & calore, animantibus etiam, vel lethalis, vel salutaris spiritus præbetur; & sine qvo, ne momento qvidem vita potest superesse. In hunc aërem, varia & multa terrarum orbis exspirat, qvædam sicca, qvædam algentia, qvædam concipiendis ignibus idonea, qvorum dissimiles motus, per omnes aëris partes, non pari æqvalitate discurrentes, necesse est
alia

alia moderatius impellant, alia alijs incidant ac repellantur, implicenturq; & comprimantur. Præsertim, cum ex Sole, vel ventorum jactatione alius motus supervenit; tum qvicqvid in aëre latet, magno impetu agitur, & proxyma quæq; remolitur & jactat. Alterna tum vis corpora concutit, ultro citroq; particulis commeantibus. Nam modo terrestres compescuntur, & succedunt maritimæ, mox futuræ potentiores; modo maritimæ fugientes, & omni modo excedere cupientes, congregantur. Quemadmodum in urbe, ubi turba in angustum cucurrit, aliorum in alios incidentium rixa fit; sic in hoc qvo circumdati sumus aere, discordes particulæ, sine tumultu versari non possunt, qvin & aliæ alias arietare & impellere debeant; donec finitis hujus pugnæ vicibus, concordiam utriusq; patiatur aer, & in suo cujusq; loco moram. Qvam diutius tamen non sustinent; vel, ut aera non sinerent pigrescere, sed assiduâ vexatione, utilem redderent vitalemq; tracturis; vel, ut humanis usibus obedirent. Aerem autem considerare oportet, non tantum eum, qvi singulis locis incumbit, sed &, qui ex omni terrarum parte huc illuc versatur, vel vi suâ leniter fluente, vel ventis, ac cursu aeris concitatiori. Quando, nec huc, nec illuc impetum capit aer, variis aqvarum terrarumq; evaporationibus inficitur, similisq; redditur regionibus ex qvibus hæ exhalationes veniunt Qvæ ex paludib9 & fluminibus emittuntur in aere, notas gravis & pestiferæ qvalitatis solēt retinere. Afflatus maris corporibus admovent salis halitũ. Hinc multum interest, utrũ aer ex locis sulphure, nitro, aut bitumine redundantibus, recipiat evaporationes. Qvod si jã aer diuti9 supra aliqvē locum steterit segnis, neq; vel Sole tenuatur, neq; ventis expanditur, non tantum hanc noxam sentit, sed vitium concipit. sæpè ex ipsâ ignaviâ. Hoc facilius pe-

co-

cora afficiuntur, qvo propiora terris ferunt capita. Plurimis Italiæ locis tales exhalare vapores compertum est, præsertim ad lacum *Avernum*, in loco dicto, *grotta dei Cani*. Ubi aer, sive afflatu diri aëris ex terrâ, sive tristitiâ loci, & morâ, adeò ingravescit, ut animantia qvævis confestim exstingvat, modò circa ipsam humum aërem exceperint. Ad certam enim mensuram adsurgit noxa, ultra qvam spiritus ducere satis tutum est. Hæc præsertim ex causa ventos per diversa disposuit Divina providentia, ut impelleretur aer, atq; liberiori aura excuteretur. Ex motu enim plurimum habet salubritatis, qvi qvo valentior agiliorq; est, hoc magis à labe vindicatur, tum aër, tum aqva. Verùm, cum aêr sic ventis exercetur, neqvid in illo esset sqvalidum qvidem efficitur, tamen, si talis fuerit locorum conditio, ut non omnes vires, particularum hominibus infestarum consumere possit; semper aliqva admistione, atq; terræ, maris, aqvarum vaporibus concretus fertur, & in omnes partes se ipse fundit. qvacunq; imus, qvacumq; movemur hinc illinc assilire non cessat. Hinc, licet spiritus graves, qvi vel terrarum culpa diu jacuerunt innoxii, nec circumjectis molesti fuerunt, qvamdiu in vacanti spatio, & æternâ qviete torpuerunt; tamen, cum eos exerceat laxitas cœli, ventorumq; jactatio, purum aera, aliorum locorum, liqvidumq; maculare ac polluere possunt, & latè vitium spargere. Est enim assiduus aëris cursus, qvo per vastum cœli spatium lato impetu vadit, dies noctesq;; adeò ut à pluribus partibus, in omnia loca impetus fiat. Qvare, pro natura locorum, ex qvibus evaporatio facta est, & per qvæ demum defertur, regiones omnes aliqvarum vi infestantur, modò aridâ, modò humido mixtâ, prout hæ vel illæ evaporationes valuere. Cum excusatione audiendi sunt antiqvi Philosophi, qvi ventos omnes,

omnes, perpetuò certis qvalitatibus præditos esse affirmarunt, Orientales esse siccos, Occidentales humidos. Multa indies obvia sunt experimenta, ex variis orbis partibus allata, qvæ antiqvos novi orbis ignaros latere necesse erat, qvibusq; benevole confutare possumus hanc illorum sententiam, sic ut illos se reprehendi non pœniteat, nos hæc cognovisse gaudeamus. Ventus solet patrios referre habitus locorum, ex qvibus prodit, & per qvæ rapitur. Qvemadmodum videmus spiritum arte expressum, transitu patente per loca calida atq; frigida, non sine injuria caloris vel frigoris manus sensusq; nostros ferire: qvin &, si emittatur per loca consita sampsuco, thymo & cinnamomo, odores, qvos hæc propius terris paverant, ad remotissima deferre; nisi ex aliqvâ causâ itinera turbentur, atq; à cursu dejiciantur atq; avertantur. Jam terræ regiones cum consideramus, videmus qvod pars earum appulsu Solis exarserit, pars obriguerit nive pruinaq; longinqvo Solis abscessu. Heic ergo arenarum inculta vastitas jacet, in qvibus ad exhalationes vires suas frustra consumet Solis calor; illic vastissimus incumbit Ocoeanus ex qvo tanto major exspiratio est. Qvod si à parte Austri constiterint terræ frigidiores, perpetuis nivibus rigentes; evaporationes qvæ in aërem surgunt, & motu aëris ventorumq; delatæ in viciniam, frigora & siccitates promittent; & contra, si circa ortum ex plurimis aqvis, locisve humiditate saturis & redundantibus, & Ocoeano, incipiant exhalationes prodire, & ex illâ parte cœli deferri, magnam vim aqvarum ventus ille veher. Hinc sunt regiones qvibus siccus est ventus Occidentalis, humidus verò Orientalis. In universâ qvidem ora Europæa Ococano exposita, cum flant Occidentales & marini venti, humidæ calidæq; elementorum portiones prævalebunt, & hyemis nullo non tem-

pore frustra apparebunt minæ; cum verò ex Orientalibus & terrestribus locis, ventorum afflatu, variæ afferuntur evaporationes, tum demum maxima frigora ingravescunt. Adeò ut manifestum nobis videatur, aera, calorem vicini maris sentire, particulasq; continere, maris halitu tepescentes, qvæ vel multum secum calidi afferant, vel, qvia ex salinis elevatis corpusculis, radij Solis replicantur, & qvousq; redire potuerunt, replicato calore, benignius fovent. Nam cum maritimæ istæ particulæ, longo intervallo in mediterreanas regiones inciderint, insitum calorem amittunt. Adeò ut, haud jam nostris mirum videri debeat, in omnibus regionibus eidem Climati subjectis, non eisdem legibus hyemem æstatemq; referri. Angliam & Hiberniam minus sævas perpeti hyemes qvam Galliá, & in Scotia minus intendi frigora, qvàm in Belgio & Germania; qvin & in Islandia temperatiora esse hyberna tempora qvàm in Lapponia, aut etiam in Norvegia. Sic Oræ Brasiliæ propter ventos marinos ibi Orientales, benigna & temperata admodum fruuntur constitutione, ita ut, regio hæc perpetuo Oceani rore humectetur. Non sunt ergo plagæ ventorum, causæ istarum qvalitatum, sed terræ & aqvæ unde evaporationes fiunt, in ista plaga constitutæ, qvæ ad nos ex illis locis, vel per illa loca delatæ, cultus moresq; locorum, insitos arctius retinent. Hisce exspirationibus inter se mixtis, vicibusq; alternatis imputamus varietates temperiei aeris in ijsdem temporibus & locis, atq; modo sævitias morborum modo immodicos imbres, modo pertinaciam hyemis. Nam cum ex terra & aqva modo hæ, modo illæ particulæ effluunt, salsæ, sulphureæ, bituminosæ, nitrosæ, vitriolicæ, earumq; omnium multitudo, insatiabili varietate distingvitur, necesse est incumbentem terris aera hisce affici, & naturis hisce sursum, deorsum, ultro

ci-

citroq; commeantibus,huc illuc effluentibus,ejus motum, partiumq; conjunctionem contineri; motibus infinitis & inæqvalibus, nullisq; ratis ordinibus moderatis. Adeò ut verear,ne frustra hic suscipiatur labor qvem alibi multi tentarunt ex disparibus motionibus observare qvando ad eandem inter se comparationem confectis omnium spatiis fiat conversio. Cœlum qvoq; vanis cogitationibus petunt qvicunq; explorari inde putant tempestatum aërisq; mutationes, atq; tam certo se inde prædicere pollicentur procellas,imbres,aliaq;,qvam Solis Lunæq; labores; non animadvertentes qvam lubrico loco sint,non semper aëris corpusculorum naturæ congruente Syderum motu. Fortuita & sine ratione vaga leges hasce non recipiunt. Cujus rei ordo etiam prædictio est. In stellis eqvidem hanc varijs cursibus in omni æternitate convenientiam temporum possumus intelligere ; sed qvoniam aëri tanta inest varietas & erratio ex varietate corporum qvæ aeri miscentur, qvarumq; vicissitudine aeris continua natura est; qvomodo in hisce terris sperabimus aerem conservare certos progressus & regressus, reliqvosq; motus constantes & vagos. Non inficior esse regiones orbis terræ ubi Solis ortu occasuve contrario semper vel frigora vel imbres aliæq; terrarum injuriæ moveantur constantissime, nihilq; immutetur sempiternis seculorum ætatibus, qvin eadem eisdem temporibus efficiantur. Qui perennes cursus atq; perpetui cum admirabili incredibiliq; constantia declarant,easdem evaporationum vicissitudines ex abdito spirare & vento deinde agi eadem pertinacia. Verum qvando corpora undiq; loca vaga in aere capessentia non nituntur æqvaliter,neq; easdem patiuntur leges.Natura qvibusdam mitis & placida,omni tumultu caret; aliis intensior impetus ;qvibus per freqventia aëris loca prope-

rantibus in reliqvos incursitandum est; alicubi retineri, alicubi repelli oportet; nulli via tam dedita est, ut multas tentanti ubiq; respondeant. Aliqvando hæ se in possessione posuerunt particulæ potentiores reliqvis, atq; in hanc vel illam partem transferunt ventorum flatus, ac victas commovent. Inqvas vires sic effundunt interdum, ut eis serviant à qvibus impellantur, vel miscent se illis qvi ex destinato illuc etiam fluxerunt, qvosq; submovere non potuerunt. Ex hac itaq; inconstantia aëris tam multis qvalitatibus obnoxij & undiq; laborantis animadvertitis proximum in nostra corpora jus aëri esse, neq; tantum dedisse ventos Naturæ Dominum ad custodiendam cœli terrarumq; temperiem, vel ad evocandas supprimendasq; aqvas, vel ad alendos satorum atq; arborum fructus, sed & ut partem sibi nostri vendicarent, & hoc vel illo modo motos, in nos propius vim suam dirigerent, & prout invicem partes laborant ita in nostris corporibus sæpe humores vitia conciperent, & nil aliud qvàm crudelitatem ac nova genera morborum versarent, Sic ipsa auxilia vitæ in metum transeunt. Hæc est ratio, cur inter locorum naturas tantum intersit, ut alii sint salubres, alij pestilentes, alij pituitosi & qvasi redundantes humiditate, in alijs exsiccati & aridi. Thebis crassum dicitur cœlum, Athenis tenue. In hasce considerationes divertisse mortales non erit alienum, potius qvàm ea spectare qvæ suprà nos sunt & Chaldaicis rationibus eruditos consulere, qvibus sideribus assignentur regiones & urbes. Nos igitur & vastum hunc & inqvietum aëra alternis discordijs reciprocum, qvem urbs nostra excipit, aliqva dignoscamus ratione; Exhalationes terræ & aqvarum patrias primò attendamus; deinde Solis effectus; postremò ventorum vim hic progenitorum, vel

cx

ex alijs locis huc delatorum. Heic & terreni vapores, & aqvarum halitus qvotidie redduntur. Sed refert qvantum qvisqve conferat. nam, cujus in nostro aere portio prævalebit, inde qvalitates aeris, hinc qverelæ erunt. Maritimis plurimis abundare necesse est, non paucis terrestribus, ex stagnis minimum. Hæ variis inter se mixtæ vicibus & alteratæ, plurimas efficiunt urbis hujus salubritates, nisi beneficia hæc Dei corrumperemus, & ut essent contraria, intemperantia efficeremus. Modo spissant se, modò expandunt; ex marinis adventitius erit aeri tepor, quo corpora nostra recalescant. Hasce particulas tamen alijs atque alijs viribus ruere verisimile cum sit, prout Sol mutato cursu in eas rectior tenditur, vel alio ventorum impetu vertantur, Solis nobis cursus est considerandus inflexus tum ad Septentrionem, tum ad meridiem. Clima nos incolimus Quinqvagesimum qvintum, quo Solis accessus modici tum recessus, & frigoris & caloris modum temperant. Magna quoque urbis pars ad Orientem & meridiem convertitur, sentitq; exortus Solis tum æstivos tum hybernos, occasus quoque hybernos. Talem ad Solis exortum situm habere jubent scriptores; in æstuosis locis septentrionem spectare, meridiem in frigidis; in temperatis exortum æqvinoctialem. Ita vario Solis ortu & occasu, æstivo vel brumali, Solstitiali & Æquinoctiali, hæc definiebant Antiqui. Quorum ut exactior nobis constet ratio, tota Horizontis peripheria in triginta duas partes divisa distingvatur lineis à centro ad circumferentiam ductis triginta duabus, quibus totidem designentur venti, ventorumq; nomenclaturæ; adeò ut lineæ per centrum mundi ductæ ad normam sese interseccantes, cardinum qvatuor mundi vestigia demonstrent. Interjectæ verò plagæ non Solis exortu vel occasu, sed numero rectarum

rum

rum ordine à cardinibus distanti describantur. Hac cœli distributione exortus Solis Solstitiales æstivi, nobis cum qvarta à Septentrione linea congruet, eademq; ab Oriente, Austro proxima brumalem exortum notabit. Brumates qvoq; occasus deprehendit urbs nostra, qvi incidunt in primam ab Occidente lineam ad *M*eridiem spectantem. Patet hinc qva ratione densas compactasq; vaporationes dissipet Sol. Ex Sole enim oriente & occidente aër, die ac nocte distingvitur. Is æstate fusus & extenuatus, sublimius fertur, hyeme, in nubes cogitur, humoremq; colligens, terram auget nive vel imbribus. Antelucanos flatus, qvi aut ex stagnis ex mari aut ex planitie feruntur, & qvicqvid ex se emisit urbs tota, qvod nocte non exhauritur, calor Solis exorientis levat. Naturâ qvippe calor omnes abigit nebulas, & à se repellit. Solis ergo fortius lumen cum est, aer ipse qvoqve agitatus ab illo magis, calefactusq;, solutior est, partesq; in eo existentes, motui ejus obseqventes, facilè dissipantur. E contra hyeme, cum Solis inertior vis est, qvàm ut rigentem aera fundat, & ex denso coactoq; explicet, ne pertinaciter diutius nobis incumberent circa urbem collectæ exhalationes, ad deducendum matutinum aerem, atq; impellenda arctata conjunctaq; corpora; ex variis cœli partibus elisos fecit spirare ventos, qvi, ubi sociavere vires, multo majores diuturnioresq; sunt, qvam ut à circumposito aere sustineri possint. Itaq;, cum datum est laxamentum corporibus, & stipatio illorum ac turba soluta est, liberior exitus, & loci laxitas, alios ex diversis caussis ruentes invitat, ut huc confluant plures. Hinc tantus illis impetus, ut spissum aerem & humidum expandant & tenuent. Totum enim spatium inter *C*astellum & littora Amagriæ non tantum Solem accipit orientem, sed & perflatus à Borea, *S*ubsolano,

no, Vulturno & Meseuro, h.e. omnes, qvos recipiunt plagæ à prima linea versus Septentrionis cardinem usq; ad Orientalem; nec non ab Orientali plaga usq; ad tertiam lineam versus Austrum. Ex ea parte cœli cum exeant anhelitus terræ qvos emittunt Norvegia, Moscovia omnesq; Europæ continentes regiones, & natura & impetu frigidissimos afferunt ventos, qvi hyeme frigora intendunt, æstate media ad temperandos calores plurimum conferunt. Solent per divortium veris & æstatis prodire, cum maxime nives tabescunt, in terris frigidioribus. Aliqvando retinent mores qvos tradiderunt terrestres exhalationes, & frigido contactu corpora affligunt; aliqvando deficiunt, & ante defatigati, qvàm ad nos devenerint, facile ab aliis vincuntur. Sæpè enim imbecilliores esse hos ventos & Austrinis parere oportuit ut frigora & siccitates qviescerent, nimium libidine ferociaq; provecti. Frons ergo urbis à Septentrione ad Austrozephyrum directa, varietatibus hisce ventorum terrestrium & maritimorum, frigidorum & calidorum, positionem obtinet mediam, & temperatum libramentum effectuum hyemis & æstatis. Plurimas enim minas solet Auster in urbem transferre, & nova genera morborum versare, præsertim cum suffragatur cœli status humidus aut æstuosus, qvibus malis modum solent imponere salutari sua vi flatus Orientales atq; Boreales, dum particulas noxias qvasdam abigunt alias dispensant & ad sanum modum redigunt. Nam qvi à parte Austrina & ad Zephyrum declinantes ex aqvis surgunt Oceano concepti; sine frigore ingenti vehementes qvidem sunt, verũ nisi aliqvâ iniqvitate naturæ segniores fuerint & impetum accipere non possint in salubritatem proniores. Qvod, si verò in corpora imbecilliora, qvorum

rum virtus impetum ejus reprimere neqvit, incidant, variis defluxionibus illa infestabunt vi sua, & in humiditatem naturâ proclivi. Hinc prodeunt ægritudines multiformes, stomachus nauseat, præcordia palpitant, pulmo anhelat, totumq; corpus immanitas doloris depascitur. Aer ergo hisce ventis agitatus magis tepescit, ut intelligi facile, possit in tantis illis humoribus inclusum esse calorem. Adeò ut, sicut flatus terrestres à Septentrione & Euro provecti urbem hanc à pernicie imbrium liberant, &, qvæ Aqvilone maxime gaudent langventia corpora sustentant ut ab afflatu ejus lætiora fiant; ita blandientibus Austris, molliores apud nos hyemes, & veris initio evocatæ indulgentia cœli germinationes, secutis caloribus sereniores luxuriant, modo præposteris horis singuli non affligant. Quorum vim in nos propius dirigi ex arbitrio licet in nostra potestate non sit; tamen in qvantum emendandum providit Omniscius ille Deus & in qvantum opus sit concitentur remittanturq;. Accedit & illud, qvod natura loci tam commode nos tractet, ut qvi ex terris illis frigidioribus incipiunt magno impetu, deficiant anteqvam ad nos devenerint, neq; magis se concitent, sed per aliqvam maris *B*althici superficiem agitati recalescant, ut tandem ad nos infracti, leniores accedant. Vice versa, illos, qvi à parte Austri oriuntur ex respiratione Oceani, sic corpora nostra accipiunt, ut eorum vapores per continentes terræ regiones delati, & avocati transversis aliorum vestigiis passim discurrentium, vel consumpto humore, exhalationibus terrenis siccis mixto, ex dissimillimis naturis, tantus consentus fiat, ut omnem vexationem non sentiant, atq; longe aliter nos afficiant, qvàm eos qvi ictibus infractis patent. Correctis sic Divina gratia ventis, nihil est in aere nostro, qvod non sit bonæ spei capax. Reliqvos

ventos

ventos ab occasu brumali & occidentali latere Septentrionis perflantes cum bonâ gratia dimittimus; à qvibus cum defendatur civitas, collibus, ad orientē & meridiē molliter devexis, eorum impetus non adeò effusos esse oportet, sed temperatos & obedientes, nisi cum vehementer concitati, procellosi & acres, iter sibi vi ac pugnâ parant. Tota itaq; Dania ejusq; metropolis Haunia, salubre satis nacta est cœlum, nisi proprias in se manus advocarent incolæ, vel, nimium qværuli, minima momenta calumniarentur. Sed qvia nulla terrarum pars à clade excepta est, & à fato immunis; non mirum hic sæpius sævire innumerabilia infirmitatum pericula. Invadit temperatissimos morbus, validissimos mors, vitæq; compendium mortis est luendum incommodo. Pituita hic maxime timetur, qvæ in humorum mixtura cum prævalet, facile sanitatem omnem corrumpit imbecillis corporibus & non magna molitione perdendis. Deinde in perniciem nostram satis valet qvod oras Balthicas depopulatur malum ex Scorbuto. Hoc ipsum tamen non omnes ex æqvo sollicitat, & qvamvis latissime pateat, non est inevitabile. Rusticos, & laboribus assvetos prætterit, qvos ab hoc vitio vindicant exercitia, parsimonia lautiores. Hujus qvoq; imbecillitatis consciis, solatium inter cætera providentiæ Divinæ opera admiratione suspiciendum, ex vicinia dedit, Cochleariam in Amagria, in pratis trifolium aqvaticum, Nasturtium, Beccabungam & similia. Suas enim istud malum caussas habet, qvibus corpora turbantur, nec plus in se periculi habet qvam vulgares morbi, adeoq; facile & evitari & provideri potest, modo ad versus hanc cladem bonum sumamus animum, & auxilia usurpemus non temeraria. Valetudo ferè omnis intra nos stat. Multum prodest in viridi ætate abstinentia ad omnem legem exacta. Cibis, potioni-

bus,exercitationibus ordinem ponere,ac sanitatem mutata qvandoq; vitæ dispositione firmare. Sic etiam qvæ extra intellectum atq; æstimationem causarum mali sunt posita, assiduitas curæ pertinacis evincit. De salute enim qvi non sunt soliciti atq; remedia opportuna negligunt, non mirum est dare eos hujus negligentiæ pœnas. Sed qvoniam nusqvam cœli tanta benignitas, ut sine omni sanitatis jacturâ,ad senium pervenire liceat, qvippe, corpus nostrum,qvod sangvine irrigatur,& spiritu, omnium mutationum patitur leges; non dubium est tamen,qvin qvibusdam locis levibus causis discutiantur; & qvibusdam subitæ continuæq; mortes grassentur,& monstrosa generâ morborum; aliis verò felices,annoso degant ævo, homines. Hunc crassior saliva suffocat,hic pedum dolore corripitur. Per successiones suspiria, asthmata,calculi qvibusdam traduntur. Sub eadem lege jacemus omnes; sed si discutiamus ægritudines qvas aura urbis nostræ contrahat;ad confessionem veri etiam invitos compellemus,non adeò infelices hic esse valetudines,qvin cunctis annos suos emetiri ex commodo liceat,qvibus natura dedit sana corpora,& ad senectutem decurrere; nisi in se malint, gulæ deliciis, vocare fata tardantia; & cibus, & potus omnis generis,& vigilia, & somnus, cum mensurâ qvadam,tam salubria sunt, ut mors non nisi satietate vitæ adventet. Omitto nunc infinitas hic opportunitates, portum qvietissimum omnium, qvos aut natura posuit in tutelam classium,aut adjuvit manus; sic tutum,ut ne maximarum tempestatum metus sit; accessu qvoq; cunctarum gentium facili,ad cultum hominum atq; abundantiam; ne imperiti, & sine magnâ experientiâ hic habitarent homines, circumscripti natali soli fine. Benigno diversorum ventorum,qvovis anni tempore,afflatu fruimur, ut commo-

mo-

moda cujusq; regionis nobis fierent communia. Neqve adeò effusos eorum impetus animadvertimus, sed sæpius temperatos & obedientes. Rarò enim tantis apud nos procellæ viribus ruunt ut partem metus nostri fierent, silvasq; convellant atq; ædificia tota corripientes in altum frangant. Non assidui aut immodici cadunt imbres, & sine ullis Solibus nebula continua. Nunqvam subito maris accessu urbs vapulavit, neqve terræ motibus infamis reddita est; non incendia ruptis montium verticibus effusa heic visa sunt. Pestilens cœlum qvandoq; hanc urbem afflixit, non exhausit. Adversus tonitrua & minas cœli, melior qvoq; est horum locorum conditio qvàm multorum. Adeoq; situm, salubritatem cœli & temperiem, non immerito qvis dixerit rerum Naturam dedisse summam. Inde nobis omnipotens Deus animum gratum, ut sicuti par est eloqvamur eminens hoc beneficium in nos tuum. Ne prolabamur in ingratam oblivionem, aut fiamus jejuni aut iniqvi æstimatores muneris tui. Sed ab ortu Solis usqve ad occiduum diem, & dum sydera nocturna excubant usq; ad albescentem auroram annunciemus laudem tuam.

CXIV.

Anatome Hydrophobici.

D. Joh. Henr. Brechtfeld.

Laurentius Serenissimæ & Clementissimæ Reginæ meæ à pedibus d. 1. Mart. 1678 in subitaneam incidit hydrophobiam ut ne guttulam liqvidi cujuscunq; generis posset deglutire cum tamen solida qvæcunq; promtè per gulam demitteret. Ab exhibitis bezoarticis & alexi-

alexipharmacis parum juvabatur, die tertio rabie correptus saliva ubertim ex ore fluente adstantes omnes conspuebat, qvarto demum morbi die extra lectum in sella sedens facto uno, & altero corporis subsultu subito suffocabatur. Aperto per Chirurgum Regium Philippum Hacqvardum me præsente cadavere corpus prorsus extenuatum erat ac si hecticâ diuturnâ tabefactum fuisset, caro musculosa omnis ut & pingvedo penè consumpta, omentum item penitus absumptum ut intestina flatibus turgida nuda jacerent, mesenterii glandulæ & pancreas prorsus extenuata. Hepar in parte convexa sano simile, in parte concava inflammatum & gangrænæ proximum cum pleura tàm firmiter coaluerat ut vix nec sine ruptura avelli posset, sinister lobus hepatis lieni tàm arctè adnatus erat ut non nisi sectione ab invicem possent separari. Vesicula fellis bile viridiuscula plena, costis itidem firmiter adhærebat. Ventriculi interior tunica corrupta ut digitis posset abradi. Ejus superius orificium exile admodum ut & totus œsophagus angustus valdè & qvasi constrictus. Pulmones aridi & exsucci costis utrinq; adnati. Pericardium ne guttulam aqvæ continebat. Cor flaccidum & extenuatum, cujus dextra auricula insigniter tumebat, dexter ventriculus sangvine grumoso plenus, in sinistro sangvis planè fluidus. Renes satis magni notabili vitio carebant, succenturiati egregiè conspicui. Cerebrum non introspectum, qvia instrumenta ad calvariæ depositionem necessaria ad manum non erant. *An* à cane rabido demorsus unqvam fuerit, à me, cum mente adhuc constaret interrogatus, se id non meminisse ajebat, svadere tamen id videbatur cicatrix in sinistro crure post mortem conspicua, qvanqvam non desint exempla *lethalis hujus aquæ metus* ut *Plinio l. 8, N. H. c.* 40. vocatur etiam citra morsum canis

nis rabidi prout videre eſt apud *Marcel. Donat. hiſt. med. mirab l. 6. c. 1. Salmuth. cent. 2. obſerv. 52. Zacut. Luſit. de Med. P. P. hiſt. 20. Borell. cent. 3. obſerv. 38.* Proinde etiam famoſum illud aqvæ marinæ balneum in curâ neglectum, qvod demorſi anteqvam hydrophobia ſupervenіat juvamen aliqvando indè accipiant, ubi verò aqvas jam horrent

Nec formidatis auxilientur aqvis.

CXV.

Ex pilulis cephalicis intempeſtivè & in conſulto Medico aſſumptis intumeſcentia capitis & tandem ſubita mors.

D. Caſp. Kölichen.

Emerat Tornator qvidam artificioſus pilulas cephalicas ſanitatis conſervandæ gratiâ, ex pharmacopolio (ſiqvidem ibi pharmaca venalia & vulgus miſerum parſimoniæ ſtudens, pro placandis miſeri corpuſculi infirmitatibus non medici, ſed Medicaſtri auxilium paſſim implorat): qvid fit? miſer ille Vitam in marſupio cum pilulis poſſidere ratus, poſt paucos dies mortis candidatus naulum Charonti ſolvere coactus fuit: gravedo enim Capitis, qvam per pluſculos dies cum tumore genæ dextræ ſenſerat ab uſu pilularum aucta (ſiqvidem humores peccantes in corpore commoti & non ſufficienter, nec juſto tempore per Vias conſvetas promoti & ſalutari pharmaco evacuati (tormina enim potius qvàm purgationem indixerat illa pillularum maſſa) partem debiliorem & glandulas, qvibus caput præ cæteris refertum eſt, petunt) humores afflu-

affluentes, unde tumor capitis, remisit ad partes inferiores, pectus scilicet, & ibi suffocationem inopinatam peperit. Hinc qvi volunt cautius mercari discant. Idem Judæo cuidam nuper accidit, ejusdem farinæ pilulas in simili affectu porrigente Tonsore qvodam navali.

Dii immortales qvantum mortalia cœcæ
Pectora mentis habent!

Motus enim naturæ in tali affectu adjuvandus non impediendus: impeditur autem per purgantia, illa enim materiam peccantem à naturâ ad peripheriam corporis ad centrum revocant: adjuvatur per sudorifera, illa enim humorem peccantem vi naturæ ad ambitum corporis propulsum, ibiq; in parte aliqvâ hærentem & tumorem procreantem magis attenuant & per poros apertos evanescere faciunt, aut jam induratum maturationi aptum reddunt; adeò multum interest scire

—— qvid distant æra *Lupinis.*

CXVI.

Aqva ex Mercurio sublimato pro Aqva C. C. ex incuriâ deglutita.

Casp. Kölichen.

Asservatur in pharmacopoliis nostris *Aqva* C. C. comp. Wormij, cujus hæc est descriptio: R. Rasur. C. C. Pom. Citr. unà cum Cort. Sem. & pulpâ in frusta dissect. à ℔j. His affund. Aqv. Acetos. Scord. Meliss. Scabios. Card. ben. à ℔iij Destill. s. a. in Balneo. qvæ aqva ubiq; & undiq; in Civitate expetitur pro usu domestico à Matribus familias: fortè fortunâ in ædibus primarii cujusdam Civis ex domesticis qvidam ad cutis vitia paraverat

rat aqvam ex mercurio sublimato; Ancilla Infanti puellæ Aqvâ C. C. ex lagenulâ infundere volens arripuit ex incuriâ Vasculum ubi Aqva illa mercurialis asservabatur & Infanti haustulum dedit: illicò seqvuntur Symptomata, Vomitiones, Convulsiones, sitis & febris &c. curata tamen fuit hæc puella, divino Numine aspirante, vulgaribus ex qvotidiano Pharmacopœorum penu desumptis, iisq; methodicè adhibitis medicamentis, qvæ hic recensere supervacaneum judico. Confestim enim advolavit Medicus, qvi dum principiis obstitit, ocyus medicina parata fuit, anteqvam

—— mala per longas invaluere moras.

Præcipuè tamen ratione Veneni profuit hæc mixtura alexipharmica mihi in omnibus aliis etiam affectibus ubi suspicio est alicujus malignitatis usitatissima & Ægris salutaris. Rec. Aqv. Galegæ s. rutæ capr. Scordji. Card. ben. exsicco, febrifug. Schröderi. à ℥ij. Pulv. pannon. rub. Elect. Orvietani à ℈iiij. Syrup. flor. Tunicæ ℥j. M. d. in Vitr.

CXVII.

Pecus Marinum patriâ lingvâ Strandqvæg/ *Germanicè* Strand oder Meervieh.

Casp. Kölichen.

AMicus qvidam Coagiensis mihi narravit: cum uxor ipsius Hafniâ Coagium aliqvando tempore æstivo rediret, & circa meridiem non procul ab oppido, cum littora sicca essent, ut pro Ventorum flatu ibi locorum fieri solet, ipsa curru vecta, maris vestigia propter viæ planitiem, legeret, ex longinqvo ad maris profundioris labia vidit

dit coloniam novi pecoris, glabri, variegati, cornibus etiam ornati, sed caudâ ab illo terræ Incolâ differente, cauda enim instar flabri erat, qvantum ex longinqvo videre poterat: Vaccas, ni fallor, numeraverat duodecim cum uno Tauro, qvæ omnes cum Tauro agmen ducente ad aspectum & adventum ipsius ad Neptunia arva redibant, natatu tamen tardiori: domum reversa Uxor narravit Marito novum istud spectaculum; Ille rei novitate commotus illo ipso curru vehebatur ad illa maris littora etiam profundiora, qvæ curru superare poterat, sed præter Neptunia arva nihil vidit, dimidium enim milliare ab oppido distabat locus spectaculi. Expiscatus sum postea à rusticis maris accolis an ipsis aliqvid per Vitam innotuerit de hoc pecore marino, affirmârunt cum additione: Taurum nempe marinum qvandoq; cum Vaccis terrestribus congredi, soboles verò illa qvam primum lucem viderit & paulum adoleverit ex stabulis dimissa ad littora accelerare & ibi in mare sese præcipitè dare. De Flabro qvo ex satellitio nobili unus Regi Persarum prandenti, ventulum facit, qvod ex India defertur & ex pecore qvodam marino desumitur vid. Eras. Francisci theatr. historic. in hist. Otto *B*rückm. *F*rid. Bollingius in Itinerario suo Indico, Danicè scripto & nuper edito refert: dari circa caput Bonæspei in sinu Taffel-Bay eqvos marinos seu Hippopotamos, ungulis bisulcis, capite bovino, qvi excurrunt qvandoq; ad littora ibiq; gramine vescuntur, eorum sangvine utuntur Pictores Indi ad picturas, dentes verò medentur dentium dolori, si illo dente dentes affecti fricentur, ut ille ibidem asserit.

CXVIII, *Spi.*

CXVIII.

Spiritus Vini & frumenti potus noxius maris accolis.

Casp. Kölichen.

MAris accolis dico noxium esse potum Spiritus Vini & frumenti (per Spiritum autem Vini intelligo illum, qvi aut ex Vino ipso aut ex fecibus Vini, qvem Galli suâ lingvâ Vin de Vin appellant, destillatur,) qvia ibi crassior est aêr, variis ex salsis inqvinatus vaporibus, qvi corpora Incolarum salsedine illâ imprægnata ad Scorbuti generationem habiliora reddit; hinc epar Colatorium Sangvinis inprimis patitur: salsedo enim illa, præsertim crassior, ad Vias excretorias alioqvin destinata (qvod enim crassum, qvod fœculentum, qvod terrestre est, fundum petit, infimas partes scilicet, suâ gravitate, & hepar, lienem, Ventriculum & vasa mesenterii infestat, reliqvum qvod volatile est ex illa salsedine, superiores petit partes, caput sc. & pectus, ibiq; aut salivationem aut tussim freqventem parit) à qvotidiano Spiritus Vini usu qvasi exaltata, hepar, lienem, mesenterium & ipsum Ventriculum instar muriæ tingit, & ob pondus altius ascendere nescia, ibi hæret, & obstructiones insignes parit, hinc ob remoram urina tingitur (sal enim tingit urinas, & qvò magis tincta est urina, eò plus salsedinis inhæret ad obstructiones Viscerum aptissima) hinc pauca redditur, hinc Viscera acredine illâ à Spiritu Vini inductâ corrumpuntur & tonum naturalem amittunt, inde hydrops, Icterus & alia mala qvæ ad Charontem ducunt, siqvidem nullis exemplis & observationibus id demonstrare possem: Experientia hic locorum pro me testis est: Ergò

Abstine & efficies qvod Medicina neqvit.

CXIX.

Hydrops Scorbuticus.
Casp. Kölichen.

Hydrops & Asthma
Est mirabile phantasma.
Quod nullum curat Cataplasma.

ITà olim dũ Rythmi valerent & obscurior ætas esset, aliqvis cecinit: & profectò si morbus est qvi Medico multũ facessit negotii, hydrops est; præsertim ille, qvi ex Scorbuto sensim propullulat, plerumq; enim hic oritur ex Visceribus corruptis ex salsedine illâ Scorbuticâ fermè exesis cum adjunctâ Icteritiâ flavâ qvandoq; etiam nigrâ, hinc illa *Cantilena*

Hydrops, Quartana Medicorum Scandala plana.

Hic enim est ille hydrops, qvi vitiato hepate etiam qvandoq; acrimoniâ suâ exedit illa in concavo hepatis vasa lymphatica, unde aqvæ redundant in Cavitatem abdominis, hinc moles ingens, & qvis ibi dabit medelam, ubi ex humano consilio nulla est? qvis enim Vascula illa tenuia, lymphatica intelligo, occludet & iis obicem ponet. Salvis tamen aliqvo modo Visceribus & vasis lymphaticis incorruptis, medela dabitur, non purgantibus, non sudoriferis, non diureticis, qvod rarò fiet, (loqvor enim de hydrope confirmato) non paracenthesi, qvæ ultimâ plerũq; absolvit lineam vix centesimo salutaris: sed medicamentis exsiccantibus & eâdem diætâ: inter exsiccantia medicamenta laudem præ cæteris habet Chalybs, ut sæpius, Deo benedicente, expertus sum, qvi etiam aperiendi & Viscera roborandi vi pollet insigni: Limatura sc, in Vino sive Canariensi, sive rhenano, seu gallico cum Zedoariæ

rad:

rad: infusa, ubi tinctura sensim extrahitur & ab essentiâ chalybis Vinum ferè insipidum redditur. Formula hujus medicamenti talis mihi in usu est. Rec. Limaturæ chalybis recentis. ℥j. Rad. Zedoariæ elect. incis. & contus. ʒvj. *M.* & infuantur sacculo ex syndone albâ S. Säcklein zu einem Pott Wein. Hujus Vini Chalybeati mane & Vesperi recipiuntur tria aut qvatuor Cochlearia, & fiat continuatio ad qvatuor aut plures septimanas (sensim affundendo Vini aliqvid pro ut tinctura ex chalybe efficacior appareat) usq; dum malum mitigetur & sanitatis affulgeat Spes, observata diætâ convenienti, ut antea dictum.

CXX.

Execrabile Calculi remedium.

Casp Kölichen.

Agyrta qvidam, honestæ *Matronæ* septem menses gravidæ, ex suppressione *Urinæ* (qvi affectus gravidis sæpe obvenire solet) & doloribus dorsi decumbenti, ex marsupio commendavit oleum in lagenulâ asservatum pro singulari calculi remedio, qvô ille Matronam illam laborare asseverabat; assumit ægrota qvotidiè certam qvantitatem hujus olei, unde ardor urinæ & dolores dorsi magis aucti, tanto cruciatu miseram affecerunt ut dies noctesq; in somnes transigeret; largius qvidem effluxit urina, sed cum urinâ mucilago aliqva instar spermatis ranarum cohærens, qvæ mucilago procul dubio naturalis ille mucus Vesicæ & Vasis Urinariis inhærens, fuit: provida enim natura de tali muco instar glutinis illis partibus prospexit, ne ob continuũ urinæ transitũ partes illæ læde-

rentur & homo cum dolore mingeret; hinc etiam factum ut qvoties optima Matrona urinam redderet, præ summis doloribus vix sui compos esset. Mortuâ tandem, apertum fuit cadaver, sed nullum ibi calculi vestigium apparuit, neq; in Vesicâ, neq; in renibus nec ureteribus; totum verò Vesicæ corpus internum undiq; glabrum & qvasi elotum & erosum erat, ob causam fortè, quam antea dixi: dexter ren duplo major erat sinistro, qvi satis exilis erat, totus autem Lien sideratus. Plura expiscari non potui ob temporis angustiam, aderant enim mulierculæ, qvæ pollincturam urgebant. Urinam pellendi & insignem fortè abstergendi Vim illa Agyrtæ medicina habuit, hinc illæ lachrymæ: Caveant ergò sibi, qvi ob metum Calculi præcautionis ergò qvotidiè aut sæpius medicamenta abstergentia, aut calculum frangentia ingurgitant, ne aut nimiùm præceps natura fiat in expurgando sero aut plus sabuli à sero separatum ad partes urinarias natura amoliatur, qvàm partes illæ ferre possint: optima enim pharmaca

—— —— data tempore prosunt,
Et data non apto tempore sæpè nocent.

CXXI.

Singularis Urinæ suppressio.

Casp. Kölichen.

HOnesta fœmina sedecim præter propter menses gravida, dorsi doloribus infestatur; mulierculæ Vicinæ, pro more seqvioris sexus, in consulto Medico, non audita Obstetrice, partus tempus, cujus calculum malè observaverant, appropinqvare, miseræ persvadent; hinc tot ex tripode dicta & consilia, si diis placet, hinc tot potiones ex herbis partum promoventibus domi præparantur, &

præ-

præparatæ ægrotæ propinantur, & nescio qvid amplius consilij harum furiarum excogitaverit audacia, in perniciem misellæ fœminæ, inter manus medicastrarum vix respirantis. O Cœlum! nonne satis est, Evam in Paradiso peccâsse, an adhuc illæ non degeneres Evæ filiæ tot in mundo ludibria exercere debent, &, si profari ausim, homicidia committere? sed ut ad ægrotam meam revertar, scias, benevole Lector, miseram illam ex falsis illis parturiendi conatibus, qvos insana illa mulierculàrum procacitas, internè & externè, verbis & herbis, nefando ausu promoverat, in tantam urinæ suppressionem incidisse, ut parum aut nihil lotij sine instrumenti ope, Catheterem vocant, per vesicam redderet, cum acerbis cruciatibus: hinc increscente febre, aucto abdominis tumore, (ob serum retrocedens) magis magisq; suppressâ urinâ, ut nec ipse Catheter amplius juvare posset, vigiliis & doloribus exhausta diem supremum obiit. Consentiente Marito, me præsente à Chirurgo Regio Philippo Hacqvardo, Viro Exercitatissimo, Cadaver apertum fuit: invenim9 Vesicam, ex lotio ibi collecto, tumidam, caput adulti hominis æqvantem, cujus exterior tunica ex parte gangrænosa; dissectâ verò vesicâ ultra libras qvatuor lotij olentissimi effluxerunt.

Uterus cum fœtu mortuo, ex ligamentis superioribus, lata dicunt Anatomici, laxatis, ob causam, qvæ antea recitata fuit, tam arctè sese cum mole suâ associaverat collo vesicæ, ut ex arctâ illa compressione ne guttam qvidem seri vesica transmittere posset, hinc omnis mali causa.

CXXII.

Hæmorrhagia rebellis.

Casp. Kölichen.

STrenuus qvidam Miles infelicius in Castris Acidaliæ

quàm Gradivi militaverat, hinc ex Lue inde reportatâ & malè curatâ varia ipsi relicta sunt Symptomata; inter alia & hæmorrhagia narium longa, freqvens & rebellis: omnia tentavimus, qvæ Industria nostra excogitare potuit, sed prohibere non potuimus, qvin illa tanto sæpe cum impetu rediret, ut de Vitâ periclitari videretur Æger noster. Interim confortantibus, sangvinem sistentibus & acrimoniam ejus mitigantibus tam diu pugnatum fuit, usq; dum ipsa natura medelam attulit: Ossiculum enim oblongum & satis acuminatum, qvod benevolus Lector hîc delineatum videt, à naturâ ex parte sanâ separatum & sensim ad nares protrusum, inde tandem Chirurgi manu fuit extractum, qvo facto, non amplius rediit enormis ille narium sangvineus fluxus. Ita, sublatâ causâ, tollitur effectus.



CXXIII.

Fixa herbarum salia non sunt ejusdem facultatis.

Ea esse omnino uniformia noctilucæ propalator Kunckelius affirmat, ita ut e. g. salis absinthij virtus antifebrilis, non minus genistæ aut arte misiæ Sali, vel cuilibet alij competat: Summa: Omnium salium elixiviatorum tum in Chimia tum Medicina energiam esse prorsus eandem. Verum enimverò, cum per experientiam constet, virtutem specificam & seminalem unius cujusq; rei latere in suo sale, & penitius ipsi implicari, ad eò, ut non nisi pereunte salis forma, pereat ipsa; ille profectò salium delectus,

ctus,non omninò de nihilo videtur habendus: sic sal centaurij minoris,philosophice paratus in cineribus herbæ latitans, per resuscitationem Chimicis notam repræsentat solam centaurij minoris umbram; genistæ sal repræsentat genistam,urticæ urticam; qvod sane specificiam virtutem in sale suo adhuc dum latitare manifestissimè probat. Ut taceam Kunckelij sententiam qvam maximè refutare, varias salium figuras,qvas in crystallisatione constanter retinent: hinc enim diversa atomorum salinarum modificatio manifestè arguitur,diversas verò medicaminum in humano corpore operationes,à molecularum in situ, figurarum diversitate dependere Philosophiæ Cartesianæ non ignari norunt. Quin confusiones variorum salium cum acidis id evincunt: e.gr. si pro parando Tartaro Vitriolato Spiritui Vitrioli adfundas sal Tartari, longè alia φαινόμενα adparebunt, qvam si eidem Spiritui Vitrioli adfundas sal urinæ,cum tamen utraq; salia & Tartari & urinæ, sint de natura alkalium. dantur autem & salia purgantia, qvale seqvens esto:

Rec. Sal. gemmæ
Succ. radic. esul. min.
polyp. qverc. an. ℥j.
gumm. ceras. ad pondus omnium.

Reverbera per duas horas; extrahe sal, & rursus adde prædictos succos cum gummi cerasorum, misce & forma globulos; reverbera item per 2 horas,non diutius; pulveriza,extrahe sal filtrando aliqvoties & coagulando donec purum & albicantissimum nanciscaris: serva usui: dos. gr. XII. ad ℈j.

Hoc est purum putum sal lixivum, per secessum tamen pur-

gans, qvod ab alio qvovis alkali puro, nisi pro stimulo, nec qvidqvam expectaveris.

Rosinus Lentilius
Ser. *M*arch. Brand. Medicus.

CXXIV.

Axungia leporina ad oculorum pannos.

NOn esse turpe Medico ab agyrtis nonnunqvam, vetulis & Veterinariis aliqvid addiscere Medici mecum haud pauci statuunt. Audivi qvondam à Veterinariis eqvos, qvorum oculi sunt pelliculis prorsus obvelati, illita axungia leporina curari: tentavi id in hominibus, & in leucomate, panno; me nunqvā fefellisse qvin profuisse sæpius obtestor: Temperavi tamen axungiam leporinam melle rosaceo. Hoc addo, ungventum ophthalmicum *J.* Val. Willij *A*ctis *M*ed. Hafn. insertum me sæpius exoptatissimo cum successu, non in inflammationibus oculorum tantum verum & pannis & aliis multis adfectibus, oculorum, sed methodicè adhibuisse.

Ros. Lentilius.

CXXV.

De Thermis Anglicis.

Ex literis *Pauli Vindingii* Erasm. f. Prof. Hafn.

EX itinere meo Bristoliensi & in alia loca suscepto narrarem Tibi qvædam, nisi Iliada post Homerum scribere tæderet, id est, post *A*mpl. *B*orrichium, qvi in Epistola ad Te sua omnia accuratè perstrinxit. Id verò non prætereundum, qvod in rupibus Bristoliensibus vix alios ajunt in-

incolæ lapillulos inveniri, qvam spurios adamantes; non alterius coloris facilè reperias. In Thermis Bathoniensibus nummos argenteos inaurari vidi. Luto extracto nummos iterum & tertio fricant, donec colorem aureum affricent; an hoc naturæ fundi sit ad scribendum nescio. Narravit mihi Venerand. Dn. Episcopus Oxoniensis idem succedere in locis, ubi multum urinæ confluxerit; si qvis limo isto nummos infecerit, colorem in aureum mutare. Quod si fuerit, frustra se hoc mysterio jactant aqvæ Bathonienses; sed forsan de curandis febricitantibus magis sollicitæ erunt.

CXXVI.

Dolor dentium & auditus difficultas subsultu curatus.

DOlore dentium intolerabili pridem cruciabatur Dn. Erasmus Vindingius, Vir magnorum meritorum, qvi neq; noctu inducias dabat. Cum alia remedia frustrarentur spem nec levarent dolores, consilium in arena cepit. Media nocte lecto se proripiens, dormientibus famulis, exiliendo ad mensam corpus agitavit concussitq; propulitq; ex loco suo dolorem vel doloris causam, statimq; levato dolore ad qvietem compositus, ex eo tempore ab isto symptomate immunis fuit. Nuper idem consilium Johanni Torchilli Procuratori Urbis de auditus difficultate conqverenti svasit felici qvoq; successu. Scilicet subsultu illo corporis seu, ut cum *Plauto* loqvar, insultura & desultura, pellitur loco noxia materia, qvæ vel dentes vel aures occupat. Non ignotum antiqvis remedij hoc genus. Testis est *Oribasius L. 6.* Collect. Med. c. 31.

qvi ex Antyllo refert, exilire accommodatum esse diuturnis morbis capitis, thoraci, materiæ qvæ ad partes superiores propensa fertur: saltationem qvoq; ad nates, qva Lacænæ mulieres utebantur, caput purgare & siccare. Differre verò monet exilire à saltando: nã exilire esse cursui similẽ; qvũ eodẽ in loco corpus manet, poplites inflectendo & circumvehendo, saltum verò esse fermè crurum continuũ. At subsultus, qvo Vindingius noster Magnus suam odontalgiam discussit, pedibus sursum deorsum in eodem loco motis, corpus qvoq; deorsum sursumq; concussit, & qvæ dentes occupaverat materia deorsum qvoq; propulit. Ita & discussit ex auribus sive flatûs sive obstruentes humores.

Affinis huic est curatio, qva qvoscunq; corporis dolores exteriores & tumores, pugnis vehementioribus parti dolenti impactis domare amicum alium vidi, ut qvasi fustibus molliores fiant magis, qvam ullis emplastris.

Quæ de subsultu dixi, propriis Magni *Vindingii* nostri verbis confirmabo, sicut ipse consignavit. Ita verò ille:

Ante annos plus minus qvindecim postqvam stato tempore cubitum iveram, & aliqvantum obdormiveram, acutissimus dentium dolor mihi somnum excussit, duravitq; is aliqvot horas, rumpo tandem patientiam: de lecto surgo, & me propinqvæ mensæ applico & pulvinum in tenebris forte repertum nudis pedibus subdo, & manuum, qvibus mensam apprehendi, ope subsilire incipio toto corpore; pulvino pedibus insistens: cœpit sensim remittere dolor: postqvam me ita ad octavam horæ partem exercueram, redeo cubitum & mox lenis sopor occupat artus, nec ullum discusso somno sensi dolorem.

Accidit his diebus notissimum in hac urbe causarum Patronum Johannem Torchilli f. agentem causam apud consti-

Obs. 127. Vol. 5. *Monstrum Calandicum*



ſtitutos à Rege *Judices* M. Wibe & me ob defluxum humorum ad aures difficillimè audiviſſe qvæ vel ab adverſæ partis Patrono vel à Judicibus dicebantur: cum dimitterentur diſceptantes apud nos qveſtus eſt ſe hoc aurium vitio pluſculos menſes laboraſſe. Rediit in memoriam qvo modo ante annos qvindecim dolorem dentium repuliſſem, putaviq; eodem modo audiendi difficultatem ex humorum in aures defluxu ortam tolli poſſe. Docui eum rationem a me initam. Paruit conſilio & cum iterum apud nos in eadem cauſa poſt aliqvod dies compareret, ea audiendi facultate præditum deprehendimus ut qvæcunq; vel ab adverſa parte vel teſtibus vel judicibus dicerentur haud difficulter auditu perciperet ſine ulla vocis intentione.

CXXVII.

Monſtrum Lalandicum.

ANno 1677. 12 Julij natum eſt Syſtoft in Lalandia noſtra monſtrum feminei ſexus, parentibus piis & honeſtis, Patre *Johanne* Weber, Matre Maria Joachimi, cujus iconem & deſcriptionem nobis communicavit D. D. *Joh. Henr. Brechtfeld* Sereniſſimæ Reginæ Matris Archiater. Deſcriptio hæc eſt:

1. In capite multi crinium cincinni variis coloribus ea forma viſebantur, qvæ Virginibus hodie uſitata.

2. In fronte alba lacinia erat, ſeu *Antiæ* candidæ.

3. In occipite ſitum peplum obturatum crinibus & orbiculare, pendulis cincinnis ad axillas utrinqve in-



Obs. 127. Vol. 5.
Monstrum Lalandicum

ftitutos à Rege Judices M. Wibe & me ob defluxum humorum ad aures difficillimè audivisse qvæ vel ab adversæ partis Patrono vel à Judicibus dicebantur: cum dimitterentur disceptantes apud nos qvestus est se hoc aurium vitio plusculos menses laborasse. Rediit in memoriam qvo modo ante annos qvindecim dolorem dentium repulissem, putaviq; eodem modo audiendi difficultatem ex humorum in aures defluxu ortam tolli posse. Docui eum rationem a me initam. Paruit consilio & cum iterum apud nos in eadem causa post aliqvod dies compareret, ea audiendi facultate præditum deprehendimus ut qvæcunq; vel ab adversa parte vel testibus vel judicibus dicerentur haud difficulter auditu perciperet sine ulla vocis intentione.

CXXVII.

Monstrum Lalandicum.

ANno 1677. 12 Julij natum est Systoft in Lalandia nostra monstrum feminei sexus, parentibus piis & honestis, Patre *Johanne Weber*, Matre Maria Joachimi, cujus iconem & descriptionem nobis communicavit D. D. *Joh. Henr. Brechtfeld* Serenissimæ Reginæ Matris Archiater. Descriptio hæc est:

1. In capite multi crinium cincinni variis coloribus ea forma visebantur, qvæ Virginibus hodie usitata.

2. In fronte alba lacinia erat, seu *Antiæ* candidæ.

3. In occipite situm peplum obturatum crinibus & orbiculare, pendulis cincinnis ad axillas utrinqve in-

instar percucarum nunc usitatarum, & ad dorsum usqve protensis.

4. Sinistrum faciei latus barba Turcica ornabat, quasi pictor penicillo albo partem signasset.

5. A collo ad umbilicum protendebatur alba lacinia, qvo habitu lugentes feminæ incedunt.

6. Manus chirothecæ velabant albæ, qvarum unam adhuc Obstetrix servat.

7. Oculi nulli. Horum loco visebantur duo foramina parva.

8. Nec nasus foraminibus distinctus.

9. Os patulum. In cæteris monstrosa hæc puella, ab aliis nihil differebat.

CXXVIII.

Carcinoma Uteri ex suppresso fluore.

MUlier Hafniensis qvinqvagenaria plusculorum liberorum Mater, passa fluorem sangvineum petiit remedium à nescio qvo, qvi fluxum illum cruentem Uteri compescuit tandem, remanente copioso per Uterum seri fluore, qvo etiam imminuto excrevit sensim tuberculum in uteri orificio, qvod auctum propendit extra vaginam longius. Dolores angebant miseram, & terrebat frustulum extra pudenda dependens, creditusq; uterus ipsus esse ita prolapsus. Advocatus Chirurgus Regius experientissimus *Philippus Hacqvart* rem detegit, invenitq; uteri orificio superno adnatum tuberculum instar steatotis, molle & pendulum, angusto collo, reliqvo corpore instar ficus comparente patula tamen via in uterum. Inito cum uxore consilio, de rescindendo tuberculo doloroso,

in-

injectoq; circa uteri orificium vinculo, incurva novacula dextrè abscidit & exemit, restituitq; in integrum mulierem. Extractum tuberculum mihi ostendit, prorsus ficus majoris magnitudine & figura, angusto collo præditum & ventre subrotundo. Per medium dissectum steatomatis substantiam præ se tulit, sero permixtum. Suspicio est, post fluoris suppressionem nimis acceleratam à natura cumulatum in orificio uteri fuisse hoc malum & excrevisse, ut discamus non statim inhibendos esse fluxus à Natura tentatos, & inchoatos.

CXXIX.

Malva Monstrosa.

PRopter æstatis præteritæ humidam temperiem varia in plantis monstra nobis occurrerunt. Vidi rosam turbinatam seu in pyramidem protensam, qvæ alias circularis esse solet. Observavi Ribesia eodem modo pyramidali forma turgentia. *Malvas* duas monstrosas vidi, qvarum una maximè conspicua, fasciata, cultum hodiernum feminei capitis repræsentavit. Communicavit mihi eam *Ol. Borrichius* noster, qvam figura addita illustravi.



Actor.

Actor, Med. & Philoſ. Hafn.
Volum. V.
Pars II.
De Opuſculis Med. & Philoſ. edit. Hafniæ. Anno 1677. 1678. 1679.

---

1. *Thomæ Bartholini* Acta Medica & Philoſophica Hafnienſia Ann. 1674. 1675. 1676. figuris æneis illuſtrata. Volum. III. & IV. Hafniæ apud P. Haubold Acad Bibl. 1677. in 4.

2. *Thomæ Bartholini* filij de Holigero Dano qvi Caroli Magni tempore floruit, Diſſertatio Hiſtorica. Hafn. ap. P. Haubold. 1677. in 8.

3. *Caſp. Bartholini* Thom. fil. Oratio Jubilæa de Geſtis anni LXXVII. prioris & currentis ſeculi, ad Auguſtiſſ. Danorum Monarcham *Chriſtianum Qvintum*. Hafn. ap. P. Haubold. 1677. in 4.

4. *Caſp. Bartholini* Thomſ. f. Expoſitio Veteris in Puerperio Ritus ex Tabula marmorea. Rom. ap. Maſcardum 1677. in 8.

5. Bartholomæi Scalæ, Vita Vitagliani *Borromæi*, ex Bibliotheca Medicæa, edita à *Chriſtophoro Bartholino* Thom. fil. Romæ ap. Ang. Timaſſium 1677. in 4.

6. Bartholom. Scalæ Hiſtoria Florentinorum, edita ab *Oligero Jacobæo*. Rom. ib 1677. in 4.

7. *Caſpari Bartholini* Seniori b. m. Præcepta Logi-

gica in usum *Juventutis* edita. Editio nova prioribus correctior. Francof. ap. Gothofr. Herbert 1677. in 8.

8. Vita *Annæ Finckiæ* Viduæ D. *Casp. Bartholini* Senioris ex Programmate *D.* Wilh. Worm Acad. Rect. traducta. Hafn. ap. Math. Godichen. 1677. in 4.

9 *Olai Borrichii* Dissertationes III. & IV. de Poëtis. Hafn. ap. Vid. Godian. 1677. in 4.

10. *Olai Borrichii* Dissertatio de Docimastice *Metallica*. Hafn. 1677. 4.

11. *Olai Borrichii* De Ictero Disputatio *Medica*. Hafn. 1677. ap. Matth. Godichen. in 4.

12. *Andr. Stenchelstrupii* Dissertatio de Duellis. Hafn. 1677. ap. Chr. Wering. in 8.

13 *Michael Severini* de Donariis dissertatio Philologica. Hafn 1677. ap. Wering. in 4.

14. Methodus brevis curandi & præservandi dysenteriam grassantem , à Facultate Medica conscripta jussu Regio. Hafn. 1677. ap. Dan. Paulli in 8.

15. *Pauli Brand* Dissertatio de Ovo Humano. Hafn. ap. Godichen. 1677. in 4.

16. *Lucæ Debes* Feroa reserata, that is, description of the Islands and Inhabitantes of Ferroe; being seventeen Islands subject to the King of Dennemarch, lying under 62. deg. 10. min. of Nord Latitude. Wherein several secrets of Nature are brought to light, and some Antiqvities hitherto kept. in darkneß discovered by I. S. M. D. Londin. ap. Wilhelm. Iles 1677. in 8.

17. *Andr. Matthiæ Hiörings* Obsidio Hafniensis. Secunda editio auctior. Hafn. 1677. ap. Eichorn. in 8.

18. *Simonis Petræi* Aarhusiensis , decades Variæ Quæstionum *Logicarum*, Metaphysicarum, Physicarum &c. ap. Wering. 1677. in 4. 19. *Casp.*

19. *Casp. Bartholini* Thom. fil. Positiones *Anatomicæ* ex Novissimis aliorum & propriis Observationibus Hafn. 1678. ap. Vid. Godian. in 4.

20. *Bagg Wandalini* Rabdologia Neperi, seu methodus numerandi sola additione & subtractione sine tabulæ Pythagoricæ adminiculo. Hafn. ap. Godichen. 1678. in 8.

21. *Friderici Bollingii* Itinerarium Indiæ Orientalis. Hafn. ap. Dan. Pauli 1678. in 4.

22. *Fr. Bollingii* de Ventis ex Dania ad Javam & ex *Java* ad Daniam, item de Vento Mousson in India Orientali. Hafn. ap. Dan. Paulli 1678 in 4.

23. *Frid. Bollingii* Grammatica Anglica perfecta, cum dictionario illarum vocum qvæ cum Latina vel Danica lingva nullam affinitatem habere videntur. Hafn. ap. Dan. Paulli & Christ. Geertsen 1678. in 8.

24. *Danielis Paulli* Mercurius Danicus Extraordinarius Anni 1677. 1678. 1679. Hafn. in 8. & 4.

25. Catalogus Librorum *M. Olai Lyxdorphii*, qvorum Auctio habebitur in ædibus Viduæ *M. Erici Thormii* 25 *Junii*: Hafn. 1677. ap. Wering in 4.

26. Catalogus Librorum Variorum, qvorum Auctio habebitur in ædibus *B. D. Bangii* 9 *Julii*. Hafn. ap. Wering 1677. in 4.

27. Catalogus Variorum & Insignium Librorum, qvorum Auctio habebitur in ædibus *Th. Bartholini* 26. Nov. Hafn. 1677. ap. Godichen. in 4.

28. Catalogus Librorum Insignium *M. Iacob Vossii*, qvorum Auctio habebitur. Hafn. ap. Godichen. 1677. in 4.

29. *Hugonis Grotii* de Veritate Religionis Christianæ Libri in Lingvam Vernaculam translati & hinc inde

de emendati à *Th. Bartholino.* Hafn. ap. Christ. Geertsen 1678. in 12.

30. Quæstiones in Procemium *Metaphysicæ M. Simonis Petræi* & *Petri Andreæ.* Hafniæ ap. Wering 1678. 4.

31. De *Astrologia* dissertatio *Michaelis Severini.* Hafn. ap. Wering 1678. 4.

32. *Casp. Bartholini* Thom: f. Exercitatio Anatomica De Corporis Humani Occonomia. Hafn. ap. Viduam Godianam 1678. 4.

33. *Th. Bartholini* De Unicornu Observationes Novæ, Secunda editione Auctiores & emendatiores editæ à Filio *Casparo Bartholino.* Amstelodam. apud H. Wetsteenium 1678. in 12.

34. *La* Dania fatta Campo d' *Amore* Idillio di *Giov. Battista Lopez* Viconte. Hafniæ apud Godichen. 1677. 4.

35. De Auguriis Dissertationes Criticæ *Georgii Nicolai Seerupi.* Hafn. 1678. ap. Godian. 4.

36. Brevissima delineatio Enunciati Infiniti *Olai Michaelis Storm.* Hafn. ap. Wering 1678. 4.

37. *Nicolai Joh. Calundani* Levia Miscellanea Philosophica. Hafn. ap. Wering 1678. 4.

38. *Pauli Vindingii* Erasm. f. Epistola ad Patrem de Festis Natalitiis. Hafniæ apud Wering 1678. in 4.

39. *Andr. Nic. Seerup.* Positiones *Metaphysicæ.* Hafn. apud Wering. 1678. 4.

40. *Christ. Nic. Seerup.* De Pompa Triumphali dissertatio Philologica. Hafn. apud Wering 1678. 4.

41. *Olai Borrichii* Dissertatio V. de Poëtis. Hafn. 1678. ap. Godian. 4.

42. *Joh. Brunsmanni* Theses Miscellaneæ. Hafn. 1678. ap. Viduam Godian. 4.

43. Catalogus Bibliothecæ *M. Nicolai Lundii*, qvorum auctio constituta est ad die 15 Julii. Hafn. ap. Wering. 1678. 4.

44. *Petri N. Terpagrii* Tabulæ Synopticæ in Rhetoricas Præceptiones Resenii & Hilarii. Hafn. ap. Dan. Paulli 1678. fol.

45. *Casp. Bartholini* Thom. fil. de Cordis Structura & Motu disqvisitio. Hafniæ 1678. apud Godian. 4.

46. *Casp. Bartholini* Th. fil. de Ovario Mulierum & Generationis Historia Epistola Anatomica Romæ prius edita, cum altera ejusdem argumenti. *A*mstelod. 1678. ap. Henr. Wetsteinium 12. Norimbergæ 1679. 8.

47. *Jani Nicolai How* de Principiis Generationis dissertatio Physica. Hafn. 1678. ap. Wering. 4.

48 *Bernardi Omeis* de Apoplexia diss. Inauguralis Hafn. 1678. ap. Godian. 4.

49. *Casp. Bartholini* Thom. fil. De Olfactus Organo Disqvisitio *A*natomica. Hafn. 1679. 4. ap. Cornif. *L*ufr.

50. *Arnoldi Rhumani* Roma Attica vel Tractatus qvo probatur Assertio Prisciani Romanos Græcis in omni doctrina Autoribus usos, adductis Grammaticæ Latinæ Regularum & Exceptionum è Lingva Græca Rationibus & Fundamentis. Hafn. 1679. 4. ap. Vid. Matth. Godichenii.

51. *Jacobi Woldenbergii* Hafniensis dissertatio de Podagra. *Hafn.* 1679. ap. Wering. 4.

52 Ca

52. Catalogus Librorum, qvorum Auctio habebitur in ædibus Auctionis directoris, d. 17. *Mart.* 1679. Hafn. ap. Wering. 4.

53. *Nic. Laurentii Winde* Dissertatio Physico-Philologica de Lacrymis. *Hafniæ* 1679. apud Wering. in 4.

De Risu. ib.

54. *Andreæ Petri Majoragii* dissertatio Philosophica *Miscellanea*. Hafn. 1679. ap. Wering. 4.

55. *Sebast. Christ. Whit.* Heptas Physica de Corporibus illuminatis. Hafniæ apud Viduam Eichornii. 1679. 4.

56. *Michaelis Severini Leigh* Disputationes Pneumatologicæ. Hafn. ap. Wering. 1679. 4.

57. *Georgii Nicolai Seerupi* Dissertatio Polemica contra Cyrianum Lentulum pro Renato Carthesio ab atheismo vindicato. *Hafn.* 1679. ap. Wering. 4.

58. *Valentini Erici Pontoppidani* De Philosophia in genere Exercitationes duæ. *Hafn.* 1679. ap. Wering. in 4.

59. *Nicolai Ioh. Calundani* Decas Thematum Philosophicarum. *Hafniæ* 1679. apud Wering. 4.

60. Catalogus Librorum qvi Auctioni subjicientur in ædibus Auctionis directoris. 2 Jan. 1679. *Hafn.* ap. Lutr. 4.

61. Catalogus Librorum Dn. Jo Fischeri, qvorum Auctio habebitur. 7 Jan. 1679. *Hafn.* ap. Vid. Godicchen. 4.

62. *Marci Heerford* Hafniensis Dissertatio Medica de Tussi. *Jenæ* 1678. 4.

63. *Simonis Paulli* Digressio de Vera, Unica ac pro-

xima Causa Febrium cum Malignarum & Petechialium, tum Morbillorum, Scorbuti, Luis Venereæ & similium Morborum macularum, nec non de Accurata febres has curandi methodo, iterato edita, aucta & recognita. Argentorat. 1678. ap. Sim. Paull. Fil. 4.

64. *Sim. Paulli* Historica Relatio de rarissimo Casu Anatomico ac Chirurgico, una cum illius ad eam *Amicabili* Responso. Accesserunt tria singularia Consilia Medica. 1. de Apoplectico & Paralytico Nobili. 2. Pro puerulo bimulo paralytico. 3. de Scorbuto. *Argent.* 1679. ap. Sim. Paull. fil. 4.

65. *Casp. Bartholini* Thom. fil. de Tibiis Veterum Libri tres, secunda editione correcti & figuris plusculis auctiores. Amstelod. ap. Wetstenium 1679. in 12.

66. *Michaelis Lyseri* Culter Anatomicus, tertia editio. Francof. 1679. 8.

67. *Casp. Bartholini* Th. fil. Administrationum Anatomicarum Specimen. Francof. 1679. 8.

68. *Erasm. Bartholini* de Aere *Hafniensi* Dissertatio. *Hafn.* ap. Dan. *Paulli* 1679. 8.

69. *Joh. Brunsmanni* Elementa *Logicæ* nova methodo digestæ. *Hafn.* 1679. apud Dan. *Paulli* 8.

70. *Olai Borrichii* Conspectus *Præstantiorum* Scriptorum *Latinæ* *Lingvæ*. *Hafn.* 1679. apud Cornif. *Luft.* 4.

71. Catalogus *Librorum* ex Bibliotheca D. *Georgii* Witzleb, Theol. *Hafn.* *Hafn.* 1679. apud Wering. 4.

72. *Hermanni Nicolai Grim* Dani *Laboratorium* Chymicum in Insula Ceylon ex regno Animali, Vegetabili & *Minerali* Bataviæ 1677. in 8 ap. *Abrah.* van den Eede. *Latinitate* donatum à *Bartholomeo Pielat* & impress.

Am

Amstelod. ap *Boomios* 1679. in 12 sed innominato autho-re Grimmio.

73. *Georg. Nic. Seerup* Ratio concludendi Com-pendiosior, seu *Methodus Logica* didactica brevis & faci-lis. *Hafn*. 1679. ap. Dan. Eichorn. 4.

74. *Jan. Nicolai How* decas *Philosophica*. *Hafn*. 1679. ap. Wering. 4.

75. *Ioh. Petri Dorschæi* Examen definitionis Es-sentialis *Peripateticæ*, sive demonstratio tentata nullam dari definitionem Essentialem ex mente Aristotelis. *Hafn*. 1679. ap. Wering. 4.

76. *Magni Andr. Regelii* de Iride. *Hafn*. apud Wering. 1679. 4.

77. Catalogus *Librorum Miscellaneorum*, qvo-rum Auctio habebitur *Hafniæ* in ædibus Severini Lauren-tii. 11. Oct. 1679. ap. Godichen. in 4.

78. *Petr. Nicol. Krogii* Dissertationes duæ de *Mi-raculis* Solis stantis in Gibeon. *Hafniæ* apud *Luftium* 1679. 4.

79. *Gerh. Joach Bonsach* Colloqvium *Philologiæ* de Ἀνθρωποπαθείᾳ, an locum habeat in Lingva Sancta, cum Cl. Samuele Bohlio institutum. *Hafniæ* 1679. ap. We-ring. 4.

80. *Pauli Erasm. Vindingii* Tractatus Talmudicus ex *Mischnæ* parte prima de Novi Anni initio, ejus juribus, & solennitatibus, IV capitibus constans, Latinè redditus & Notis illustratus. *Hafn*. ap. Luft. 1679. 4.

81. *P J. Resenii Historia* Friderici II. Regis Da-niæ. Hafn. 1679. ap. Luft. fol.

82. *Christian. Noldii* Concordantiæ *Particularum* Ebræo-Chaldaicarum. Hafn. ap. Luft. 1679. 4.

83. *Oligeri Jacobæi* Oratio *Jubilæa* Evangelica de

gestis Anni 1679. elapsi & currentis seculi. Hafniæ apud Luft. 1680. 4.

84. *Herm. Grube* Conjecturæ de Vi Musices in ictu Tarantulæ. Francof. ap. Dan. Paulli 8 1679.

85. *Magni Andr. Regelii* Dissertatio de Sacris Romanorum Lectisterniis. Hafn. 1679. ap. Wering. 4.

86. *Herm. Nic. Grim* Compendium Medico Chimicum. Bataviæ 1679. ap. Abr. van Eede. in 8.

Programmata Academica.

1. D. *Christoph. Schletteri* Rectoris Programma in Excessum Nic. Rosencrantii Pro Generalis. Hafn. 1676. fol. *Auct.* D. *Matthia Jacobæo.*

2. D. *Olai Borrichii* Pro Decani Programma Invitatorium ad Candidatos utriusqve Laureæ Philosophicæ. Hafniæ 1677. in fol.

3. *D. Christoph. Schletteri* Rectoris Programma in obitum Gerhardi Schröderi Consil. Cancellariæ. Hafn. 1677. fol. *Matth. Jacobæi.*

4. D. *Christoph. Schletteri* Rectoris Programma in obitum Annæ Beloviæ Conjugis Justi Valent. Stemanni Theol. Licentiati. Hafn. 1677. fol. *Matth. Jacobæi.*

5. D. *Christoph. Schletteri* Rectoris Programma in obitum Christiani Caspari Schölleri Assessoris in Supr. Trib. & Consulis Coagiensis. Hafn. 1677. fol. *Matth. Jacobæi.*

6. D. *Christoph. Schletteri* Rect Programma in promotione CVII Baccalaureorum. Hafn. 1677. fol. *Matth. Jacobæi.*

7. D. *Christoph. Schletteri* Rect. Programma in promotionem XXX Magistrorum Philosophiæ. Hafn. 1677. fol. *Matth Jacobæi.*

8. D. *Christoph. Schletteri* Rect. in resignatione Rectoratus. Hafn. 1677. fol. *Matth. Jacobæi.*

9. D. *Wilhelmi Wormii* Rectoris Programma in Obitum An-

næ

næ Finckiæ Viduæ D. Casp. Bartholin. Senioris, Matris, Aviæ, Proaviæ, Abaviæ LXX Liberorum. Hafn. 1677. fol. *Matth. Jacobæi.*

10. D. *Wilh. Wormii* Rectoris Programma ad Orationem Jubilæam *Casp. Bartholini* Thom. fil. Hafn. 1677. fol.

11. D. *Wilh Wormii* Rectoris Programma in Obitum Mariæ Pelt Conjugis D. Henrici à Möinichen Archiatri Regii. Hafn. 1677. fol. *Matth. Jacobæi.*

12. D. *Olai Borrichii* Pro Decani Comitia Philosophica. Hafn. 1678. fol.

13. *Thomæ Bartholini* de Visitatione Officinarum Pharmaceuticarum Programma VI Hafn. ap. Godicchenium 1678. in 4.

14. D. *Wilh. Wormii* Rectoris Programma in Obitum Elisæ Nicolai Conjugis D. Iani Bircherodii. Hafniæ 1678. fol. *Matth. Jacobæi.*

15. D. *Wilh. Wormii* Rectoris Programma in obitum Gertrudæ Georgii f. Viduæ Viti Beringii. Hafniæ 1678, fol. *Matth. Jacobæi.*

16. D. *Wilh. Wormii* Rectoris Programma in Promotione LXXVII Baccalaureorum. Hafn. 1678. fol. *Matth. Iacobæi.*

17. D. *Wilh. Wormii* Rectoris Programma in obitum Annæ Catharinæ Winstrupiæ Viduæ D. Wandalini. Hafn. 1678. fol. *Matth. Jacobæi.*

18. D *Wilh. Wormii* Rectoris Programma in Promotione doctorali D. Casp. Bartholini Thom. fil. Hafniæ 1678. fol. *Matth. Iacobæi.*

19. D. *Wilh. Wormii* Rect. Programma in obitum D. Erici Pontoppidani Episcopi Nidrosiensis. Hafniæ 1678. fol. Aut. D. *Iacobæo.*

20. D. *Olai Borrichii* Pro Decani Programma Invitatorium ad Utriusq; Laureæ Philosophicæ Candidatos. Hafn. 1679. fol.

21. D. *Wilh. Wormii* Rectoris Programma in Promotionem Doctoralem D. Christ. Noldii. Hafn. 1678. fol. *Matth. Iacobæi.*

22. D. *Wilh. Wormii* Rectoris Programma in Orationem Jubilæam Christophori Bartholini Th. f. Secret. Reg. & Mathem. Prof. P. Hafn. 1678. fol.

23. D. *Wilh. Wormii* Rectoris Programma in obitum Friderici

ci Poggenbergii Telones Regii Hafnienſis. Hafn. 1679. fol. *Matth. Iacobai.*

24. D. *Wilh. Wormii* Rectoris Programma in Promotione Doctorali Medica D. Jacobi Woldenbergi Hafnienſis & D. Laurentii Chriſtiani Wiburgii. Hafn. 1679. fol. *Matth. Iacobai.*

25. D. *Wilh. Wormii* Rectoris Programma in reſignatione Rectoratus. Hafn. 1679. fol. *Matth Iacobai.*

26. D. *Ioh. Baggeri* Rectoris Programma in obitum Margaretæ Diederici fil. Conjugis Conſulis Chriſtophori Iohannis. Hafniæ in fol 1679. *Matth. Iacobai.*

27. *Th. Bartholini* de Viſitatione Officinarum Pharmaceuticarum Programma VII. Hafn. ap. Luſt. 1679. 4.

28. D. *Ioh. Baggeri* Rectoris Programma in Orationem Jubilæam Oligeri Iacobæi D. Hafn. 1679. fol.

29. D. *Ioh Baggeri* Rectoris Deſignatio Lectionum Publicarum Profeſſorum Hafnienſium. Hafn, 1679. fol.

30. *D. Ioh. Baggeri* Rectoris Programma in Obitum Chriſtophori Iohannis Conſulis Hafnienſis emeriti. Hafn. 1679. fol. *Matth. Iacobai.*

31. D. *Ioh. Baggeri* Rectoris Programma in Panegyricam Orationem Thomæ Bartholini pro pace reddita habitam præſente Auguſtiſſimo Rege Chriſtiano Qvinto. Hafn. 1679. fol.



APPEN-

APPENDIX
Ad Pag. 325.

CXXX.

Verum Lapidis Bezoartici orientalis Examen.
D. Caspari Kölichen.

INcidi nuper in Scriptum ex Anglico Idiomate in Gallicum translatum, sine nomine Translatoris, Autoris verò nomen Grew ibi in præfatione legitur: Inscriptio Libri talis est: Recueil d'Experiences & Observations sur le combat, qvi procede du mélange des Corps sur les Saveurs, sur les Odeurs, sur le Sang, sur le Lait &c. *Ubi* inter alia scitu dignissima ibi agitur de Lapide bezoartico orientali, qvod si nempe illi affundatur Spiritus Nitri, brevi post tantam effervescentiam ibi excitari cum spumâ, strepitu, vapore & elevatione tantâ, usq; dum illa lapidis bezoartici qvantitas tota sit à Spiritu nitri dissoluta & in colorem sangvineum mutata, id qvod verissimum est: tentavimus enim hoc examen in Pharmacopolio Beckeriano, præsente Nobilissimo & Amplissimo Viro D. Christiano Fossio summi Tribunalis Assessore & Archiatro Regio, qvi fortè advenerat: Drachmæ autem Lapidis bezoartici orientalis electi affudit laudatus Beckerus præter propter drachmas duas Spiritus nitri, & Vitrum cum contentis admovit prunis ut paulùm incalésceret, ubi illicò tanta ebullitio secuta fuit cum spumâ & effervescentia vaporosâ tantâ, ut Vitrum illud ℔j. p. c. capax vix sufficeret ut intra capacitatem ejus contineri pôssent hæc duo prædicta corpora sibi invicem magno cum fervore repugnantia, ubi tandem post absolutam pugnam liqvor rubicundissimus in fundo Vitri remansit. Tentavimus etiam hoc in alio la-

pide bezoar quem sciebamus esse factitium, (siqvidem Beckerus ut est curiosus satis, factitios illos construere novit) ubi nihil effervescentiæ subortum. Plura qvi volet, legat in prædicto Autore, hæc saltem hic ego repetere volui, ut Autoris, de hoc experimento effatum magis confirmetur, & osores lapidis bezoartici orientalis ad saniorem mentem redeant.

CXXXI.

Gangræna post Variolas.

Casp. Kölichen.

Variolæ ubiq; fermè tam parvi æstimantur, ut ad illas curandas Medici dogmatici opem paucissimæ ex matribus familias implorare ausint, ipsæ prudentiores; hinc tot errores sæpè committuntur, ut Lippientes, monoculos imò cœcos & facie deturpatos tot videas ex hoc malo qvod Medicastræ adfuerunt expulsioni (ubi mulsum cum stercore ovillo primas sæpe tenet) solummodò intentæ de futuris contingentibus non sollicitæ. Idem suo exemplo nuper ratum fecit puella qvatuor aut qvinq; annorum Variolis infecta, cujus mater Vidua parcendis sumptibus magis qvam saluti filiæ intenta, ipsa filiæ medicatrix fuit aut esse voluit, dum verò videret malum istud in principio neglectum qvotidie in pejus ruere, ut conscientiæ suæ consuluisse videretur, advocavit non Medicum dogmaticum, sed Tonsorem, qvi pro sua arte qvam profitebatur, asino & ipsâ matre indoctior per aliqvos dies tractavit puellam, usq; dum *Gangræna* gingivas & totum labium superius occupaverat: hinc lachrymæ & qverelæ. Ego tandem à *Matre* & Consangvineis vocatus auxiliari debebam jam in orci faucibus hærenti puellæ: prædixi mor-

mortem, advocavi tamen, ut testis hujus miserandi spectaculi adesset, unum ex Chirurgis Urbis in arte suâ exercitatum; & qvia

—— —— Immedicabile Vulnus

Ense recidendum est, ne pars sincera trahatur: resecuimus illâm superioris labij partem sphacelosam & emortuam ad nares usq; , sed nihil amplius industriâ nostrâ in arte fundatâ efficere potuimus, gangræna enim intus omnis oris glandulas jam occupaverat;

Sic neglecta solent incendia sumere vires.

Idem alii cuidam Tonsori accidit, qvi putredinosam oris inflammationem post variolas relictam, sale armoniaco incerto liqvore dissoluto corrigere voluit, unde malum magis auctum gangrænam intulit immedicabilem: Ita error si planctus esset, omnium Medicastrorum ædes personarent ululatu.

CXXXII.

Ex Febre qvartanâ malè curatâ Dysenteria.

Casp. Kölichen.

MErcator qvidam *Juvenis* ab *Amico* aut alio Medicastro impetraverat pulverem pro qvartanâ abigendâ : qvid fit? ab assumpto pulvere cessat qvartana, sed succedit dysenteria malum priori pejus, hinc dolores & ejulatus: accessor ego ab *ægroto*, curatur à me (Deo sospitante) dysenteria, sed redit qvartana, ut memor esset perpetrati erroris, eò enim res medica, proh dolor! redis it, ut vel qvivis Idiota se Medicum fingat Arcadico pecore indoctior. Febris enim, qvartana præ cæteris peculiare

habet Acidum (siqvidem omnis febris ex fermentatione & fermentatio ab Acido) de natura antimoniali, aut helleborinâ aut colocynthinâ, qvod Acidum præpostere præcipitatum, dysenteriam & alia mala excitare potest, cautius ergò hìc medicari oportet. Sic alius qvidam scriba cujusdam *Herois* ab Empirico qvodam seductus pro qvartanâ abigendâ pomi colocynthidos drachmas duas in Vini Gallici ℔j infusi pro duabus vicibus assumere decreverat: primam partem lethalis hujus potionis cum exhausisset, tantis intestinorum cruciatibus vexatus fuit æger, ut penè sangvineam cacâsset animam, nisi m aturo consilio, Deo benedicente, Ipsi subvenissem: cessavit eqvidem qvartana, ut in priori casu accidit, usq; dum dysenteria duraret, materiâ scilicet febrili deorsum ad Intestina præcipitatâ, concurrente insuper colocynthidis acrimoniâ, sed rediit qvartana post curatam dysenteriam.

CXXXIII.

Telephium, seu Crassula major.

Casp. Kölichen.

AMuletum illud Wedelij ex radice Telephij ad hæmorrhoides dolentes, esse alicujus efficaciæ, experientia docet & probat, ut tamen magis inclarescat illud Amuletum & experientiâ continuatâ illius Veritas magis elucescat hoc ego in meis ægrotis ex appensâ illâ radice observavi, alvum nempè qvotidiè laxam & solutam esse debere, alioqvin penes illud Amuletum non erit perpetuum levamen.

CXXIV.

De Opio observationes
Ex
Nuperâ Differt. de Somno & Somniferis
Olai Borrichii.

§. 20.

Reliqvum eſt, ut ex officina qvoq; meâ ſymbolam adjiciam. Igitur principio ex retorta vitrea minori per roris balneum excitatius propuli ex duabus ſeminis papaveres albi Uncijs, qvicqvid ille gradus coloris permittebat. Surrexit circiter cochleare unum aqvæ non coloratæ, limpidæ, olei flavi pellucentis non tota drachma. Paucis adeò poſt diebus, in experimentum plenius, elicui per capaciorem retortam vitream ex Uncijs præcisè ſedecim papaverei ſeminis candidi, igne arenæ per gradus adaucto, aqvæ Uncias ferè tres, olei autem circiter novem Uncias, relicto in vaſe capite mortuo nigerrimo ad Uncias tres, & paullo amplius; reliqviæ evanuerant, viamq; ſibi fecerant per triplicem veſicam, cujus beneficio retorta excipulo committebatur; fuiſſe autem oleoſi generis odor per conclave ſparſus ſatis teſtabatur.

Oleum tenuius, qvod excepi, aqvæ ſuæ permiſtum ex balneo roris evocare inſtitui, ut elementa clariora prodirent. Surrexit aqva ſubflava, lingvam nonnihil feriens ſapore acri, comitata ſupernatante oleo pellucenti coloris flavi ſaturatioris, qvod non modo Lingvam velut aculeis pungebat, ſed & è longinqvo concipiebat flammam, ardens luculente, aſſurgentibus interea ad latera excipuli cylindris variis ſalinis. Inter operandum, non retorta ſolum, ſed excipulum fumis latè inundabant. In-

qvisitum mox in naturam capitis mortui, notatum que idem constantiam coloris sui diu in igne tueri, tandem tamen in cinerem subalbidum fatiscere, adeoq; pondus, qvod erat *U*nciarum trium & drachmæ *U*nius, in cineris drachmas sex cum semisse terminatum: ex qvibus beneficio stillatitiæ aqvæ educta sunt grana salis fixa viginti qvinq;. Cum autem subductâ ratione constiterit, 29440 circiter grana papaveris albi reqviri ad unam semunciam implendam (qvippe non nisi XCII grana hujus papaveris pondere æqvant granum unum tritici Lolandici, grana autem tritici LXXX drachmam implent, sed ægre grana centum hordei) facilè ex eo collegeris, ne triginta qvidem granorum papaveris millia unum fixi salis granum constituere, & nihilominus singula contribuere aliqvid.

§. 21.

Crassius autem *Oleum*, aqvæ turbulentæ innatans, ut in qvo vis narcotica abundantius residere credita, post aliqvot dierum in B. Ror. laborem, cum nihil amplius eâ via evocaretur, ad calorem arenæ translatum; prodiit olei plurimum, & aqvæ flavescentis, acrisq; nonnihil, relictis iterum in retortâ vitreâ eaq; non ante usurpatâ, decem circiter scrupulis capitis mortui nigerrimi, sed qvorum moles, ante tentatam libræ fidem, vel duas Uncias videbatur expletura. Visum id portento simile, ex Oleo nuper assurgente, denuo crassamentum tanti ponderis deponi, idq; adeò fixæ, constantisq; ad ignem naturæ, ut diu in tigillo, etiam luculentè incandescens nihil adeò perderet vel substantiæ, vel coloris. Igitur conjecti statim oculi in illud *Hippocratis L.* II. de Diæt. Μήκων στάσιμον, atq; *ejusdem* aliud l. de Nat. Muliebr. ubi στάσιμοι τόποι, loci stabiles sunt, qvieti, fluidis & mobili-

bus

bus oppositi, interprete *Foësio*; deniqve in illud *Plutarchi* de primo frigid: τὸ ψυχρὸν στάσιμον, κινητικὸν δὲ τὸ θερμόν. Hinc nata tum suspicio, oleosas granorum papaveris partes adeò æqvali esse superficie, ut in loco calidiori mutuis paulatim faciebus jungantur primum qvidem sibi, mox & spiritibus corporis, humoribusq;, atq; inde qvietem proficisci. Igitur ut de constantiâ experimenti securius constaret, ventum est ad ejusdem olei, & aqvæ, qvæ bis jam ascenderant, examen. His ergò recenti commissis Retortæ per *B*aln. Ror. validius primo biduo in excipulum destillavit olei præter propter Uncia una, aqvæ ferè sem uncia sed qvæ supernataret oleo, eoq; inter spiritus quodammodo referenda. Exceptis jam ijs, qvæ exstillarant, alio vasculo, insudatum adhuc eidem destillationi per dies qvatuor; prodiit de novo oleum & aqva, oleo tum aqvæ supernatante, unde colligas, non illam spiritibus accensendam, sed aqvæ veræ, spiculis salinis volatilibus armatæ. Tandem guttis in hoc balneo admodum segnescentibus, reliqviæ per arenam propulsæ sunt. Ascendit copiosè adhuc oleum, crassum & subfœtidum cum aqvæ pauxillo. In retortæ fundo remansit capitis mortui drachma una, eaq; picei coloris, & ad ignes contumax, quippe ne trihorij qvidem flammâ, in cineres soluta est. Oleum per Baln. prolectum, præsertim primum, aurei coloris erat, nullo odore aut fœtore molestum. Repetita demum qvarta vice destillatio novum iterum caput mortuum produxit, fixum illud, sed levissimum, & qvod retortam vitream interiori facie tenuissimis philyris nigricantibus, flexilibusq;, vitro arctissimè inhærescentibus convestiit.

§. 22.

§. 22.

Videbantur hæc qvidem suspicionem, qvam ingressus eram, firmare, sed retrahebat à pleno assensu illud Divini *senis nostri*, πεῖρα σφαλερὴ, & antiqvorum canticum, μέμνασο ἀπιστεῖν; & proinde versato in alia atq; alia animo, subiit, illud fortassis aliis qvoq; oleis commune esse, ut licet sæpe in altum calore evocentur, relinqvant nihilominus semper terreum qviddam, non qvod terreum ante fuerit, sed ex collisione particularum sese obtundentium terreum semper, qvotiescunq; etiam insistas, in fundo & parietibus evadere. *Atq;* illi sanè cogitationi respondit eventus: enimverò tentatum mihi mox idem in olei olivarum Unciis octo, qvæ capitis mortui drachmam, & qvod superat, relinqvebant, cui idem spongiosus tumor, eadem in igne contumacia. Tentata experimenti constantia in oleo *Juniperi*, cujus ex Uncijs duabus rediere capitis mortui duo scrupuli: ex duabus olei laurini *Uncijs* relicta capitis mortui drachma. Et hæc ipsa ôlea, qvæ semel ascenderant, secundâ destillatione, tertiâq; novum produxere crassamentum, nigrum, ferensq; flammarum; minori tamen pondere, qvam ut proportioni olei papaverei responderet.

Illud omninò curioso speculatori hîc notasse non fuerit ingratum, hæc ipsa olea non in solo fundo constantiam hanc adipisci, sive, ut vocant, figi, sed in ipso aëre etiam, dum ascendunt particulæ, & mutuo attritu in se arietantur, unde acuminum illa, qvæ sive socientur, sive frangantur, in stabilem massam desinunt. Videbis enim & latera vitri interiora, & cœlum ejus, immò & collum fixis ejusmodi lamellis incrustatum, maximam partem atris, aliqvando & iridis formâ, nonnunqvam qvasi inauratis. Ut proinde veritatis perpetuæ non sit, figi volatile à fixo, sed,

qvod

qvod varia experimenta me docuerunt, sæpè aliqvot horarum spatio figi à volatili volatile. Ad summam, palam cernimus olea, etiam stillatitia, etiam citra calorem ignis, suapte naturâ ad qvietem propendere, qvoties diuturniori morâ in vasis asservantur, sive hamatis id eorundem particulis, ramosisve adscribas, sive facierum æqvalitati.

§. 23.

Habent ergò hoc commune olea, qvod sibi relicta, sive per calorem instigata, partem motus sui sensim amittant, id autem oleo papaveris peculiare est, qvod particulæ ejus spatiosius fument, laxius sibi accumbant, & promptius in omni ferè liqvore solvantur. De reliqvis narcoticis viderint alii; hoc sane oleum inter destillandum plus omninò fumi, sive halitus albi, nebulosiq; de se spargit, qvam pro ratâ portione alia olea, argumento partes ejus tenuiores esse cæteris, eoq; amplius diffundi. Laxius habitare minimas partes ejus ex eo liqvet, qvod aliis longè facilius moveantur: moventur autem statim non tantum in corpore nostro ad operandam qvietem, sed & extra corpus ad cujusvis liqvoris attactum, immò qvod palmarium est, in qvovis ferè liqvore, insipido, acido, salso, lixivo, alio, qvomodocunq; temperato magnam partem obedienter dissolvuntur, qvod privilegium reliqvis oleis inconcessum est. Sive autem id accidat ob rotunditatem partium, non nisi paucis se contingentium faciebus, eoq; facilius extrema partium liqvidarum (vel, si mavis, particulas elementi primi) in spatia sua inania ad ciendos motus admittentium, sive ab aliam partium dispositionem, nobis perinde fuerit, dum id, qvod oculis coram usurpamus, constet, oleum hoc cuivis ferè liqvido facile permisceri, eoq; citius & mitius ferri qvaqvaversum. Ra-

piuntur qvidem & olea ſtillatitia aromatum in caput, ſed miſceri neſciunt, & aculeata nimis, pungunt magis, qvam pacant: hoc autem dum in corpore noſtro clementiori igne rareſcit, & cum placidis liqvoribus elevatur, non pungit, ſed ſiſtit, ſed obtundit; ut propterea credibile ſit, partes ejus magis ad rotunditatem accedere. Ramoſas olei partes figurat eqvidem *Carteſius*, ſed difficilius rem intuentibus perſvadet, utqve perſvaſerit, nihil prohibet, ramos qvorundam oleorum porrigi in longum, aliorum contrahi in anguſtum, eoq; magis rotundari.

§. 24.

Hæc phænomena ulterius proſeqvi libuit, & in ipſo qvoque opio elementa propriora, eorundemq; vires ſpeculari. Igitur perventum rurſus ad ignium examina. Et primum qvidem ex opij puriſſimi Unciâ unâ, per vitreum vas retortum, modeſtiſſimo calore aqva limpida, ad ſexaginta guttas evocata eſt; inde alacriori paulatim igne fumus nullo modo aut ater, aut ſubfuſcus, ſed albiſſimus per collum vaſis undulato lapſu properans partim in excipulum erupit, partim ex naſo vaſculi guttulatim deſtillans, ex aqvâ & oleo ſimul junctis conſtare ſe ad lucernam oſtendit: tandem intentius aucto calore, totum excipulum licet plurium librarum aqvæ capax, albentibus fumis ita oppletum eſt, ut per omnia ſpiracula exitum qværerent. Interea etiam craſſum oleum è naſo propendens ſubinde in excipulum deſtillabat, & poſtremò adhæreſcebat inſtar ſtiriæ. Quin & obſervatum, plures craſſiores fumos in retortâ tumultuantes, cum non ita ſubitò per naſum eluctari poſſent, impediſſe ſe invicem, & in maſſulas coaluiſſe, adeoque verſus fundum & latera vitri relapſos in caput

put

put mortuum tandem desiisse. Ultimò, cessante etiam ad vehementissimum calorem fumo, cessatum ab opere est. Inter operandum, qvanqvam spiracula triplici vesicâ munivissem, penetravit nihilominus cadaverosus olei fœtor, totumque conclave nidore ingrato latè perfudit. Hunc fœtorem autem olei non generavit natura ejus, sed ignis violentia, qvæ eundem, imò intolerantiorem oleo lini, per se mitissimo, solet imprimere. Oleum qvod destillando prodiit, dimidiam Unciam pondere æqvare visum, & paullò amplius, siqvidem illius etiam habeatur ratio, qvod per vesicarum angustias exhalans nares offenderat. Drachmam non totam implevit, qvæ simul excepta est aqva & Spiritus. Capitis mortui nigerrimi & fixi aderant drachmæ tres, si tollas grana qvatuor.

§. 25.

Sed parum actum hac theoriâ, nisi ad praxin respiceret. Itaqve cui ex his opii elementis potiores debeantur vires, ita porrò inqvisitum. Advocati in harenam feles duo semestres: alterius ori infusa media grani pars ex spissiori hoc oleo, tantillo spiritus vini dissoluta, ut promptius subiret corpus. Electi ideò ad hoc negotium feles, qvod & citius, & evidentius ab opio commoveantur, qvam canum genus. Is ergò è vestigio, ab assumpto hoc oleo, leni primum ejulatu, & mox tribus qvatuorve obortis circa ventrem convulsionibus, spumante ore & naribus, oculisq; in confinio mortis ex cæsio in cœruleum versis colorem (qvi in mortuo ad naturalem rediit habitum) vivere desiit; & postero die apertus nihil in cerebro, nihil in corde, à naturali statu desciscens ostendit. Quin & sangvis neq; in reliqvo corpore, neq; in sinubus cordis densior solito animadversus est, sed verius serosior, flui-

fluidiorq; ſecus ac in homine qvandoq; viſum *Rogerſio*, & aliis. In ventriculo aliqvid turbarum, plus etiam in pulmonibus, qvi ubiq; ſpumei, ne qvidem inflari ſe ſiphone, niſi ægerrime patiebantur. Admiſſus mox in theatrum alter, cujus ori media circiter drachma liqvoris illius ex aqva, ſpiritu & ſali volatili conſtantis, qvi unà ex opio exſtillarat, infuſa, non mortem, non convulſiones attulit, ſed nauſeam: expuit enim mox aliqvid pituitæ craſſæ & tenacis; poſt mediam autem horam vomitu rejecit copioſius pituitoſa, ſpumoſa, fœtentia, ſed defunctus hac exanitione, de cætero convaluit, & ante horæ unius periodum ad conſvetos ſibi luſus & ſaltus revertit. Nauſeam autem & vomitionem inde natam credibile, qvod liqvor ingeſtus tantillum flaveſceret, adeoq; nonnihil olei ſibi remiſtum teſtaretur. Neq; enim tum libuit, per fœtorem, & liqvoris exiguitatem ad novam ex Balneo deſtillationem provocare, ut ramenta illa olei ſepararentur. Id tamen ex his experimentis liquidò conſtat, vim illam opij δραςικὴν & periculoſam in oleo ejus potiſſimum conqvieſcere. Nam caput mortuum inerme eſſe vel id oſtenderit, qvod quinque grana ejus minutiſſimè trita, & lacti permiſta felis alius hauſerit innoxiè, nullâ vel in ſomnos, vel vomitiones, vel nauſeam conſequente inclinatione: ut non alienum ſit ſuſpicari, integram opii Unciam, ſi per frequentes deſtillationes in ſimilia abeat craſſamenta, ut poteſt ſanè; omnem ſimul vim ſuam depoſituram eſſe.

§. 26.

Sed redeundum ad illum, qvi ſpumoſa evomuit. Placebat internoſcere, utrum efficacius ageret oleum hoc opij, quam opium ipſum crudum: igitur idem ille

poſt

poſt horas aliquot more ſuo exſultim lætus, dimidium opii crudi granum tantillo ſpiritus vini diſſolutum ſorbere coactus momento concidit, & prope citius expiravit, quam prior is, qui oleum glutierat: unde non iniquè colligitur, illud qvod aſcendit, dum variè ſibi allidun-tur particuli, hebetari nonnihil, immò & celeritatem opii actuoſam ideò apparere celeriorem, qvam olei, qvod ſalinis ſuis ſpiculis actionem utique promoventibus fœtum adhuc ſit opium, quibus aliqvam partem oleum deſtituitur. Quin & oleum ignavius agere ipſo opio ita perſpectum: infudi oleum hoc ſpiſſius aqvæ calenti, diſſolutum eſt maxima ſui parte in liqvorem turbidum & ſubflavum, reliqvis in morem pellis nigræ innatantibus, quæ tamen & longiori coctura ſolent dividi. Turbidæ illius aqvæ cochleare unum hauſit felis nullâ ſanitatis jacturâ, niſi quod levi nauſeâ ſe ulciſceretur. Subiit, oleum illud in aqvâ per minutias ſolutum non fuiſſe, adeoqve parum efficax deprehenſum, & proinde ingerendum adhuc ori felis ſpiritum vini, ut minutiæ in corpore fatiſcerent. Dictum, factum. Poſt lapſum horæ, ſpiritum vini ad cochleare unum hauſit felis, & ſubitò exanimis concidit. Deprehenſum poſtea, non tantum opium, ſed & ſolum ſpiritum vini feli venenum eſſe; quippe repetito ſæpius experimento compertum, unum cochleare ſpiritus vini purioris, ſtatim etiam valentioribus felibus jam convulſiones, torſiones oculorum, & inſignes palpitationes cordis expreſſiſſe, redeunte poſt aliqvot horas ſanitate, jam præter enarrata ſymptomata, ſubitum attuliſſe interitum. Neq; id adeò mirum, cum prope naturâ in rabiem declinet animal, & Spiritus Vini eandem potentius incendat. Quin & vinum *Ariſtoteli* eſt inter ὑπνωτικὰ, καὶ καρηβαρίαν ποιοῦντα, l. de

Somn. & Vigil. c. III. Tandem notatum, opium qvidem in aqvâ solutum, propinatumque felibus largiori dosi, tristia inducere symptomata, immò tandem mortem, sed minuscula portione nec promptè, nec periculosè tumultuari. Segnius etiam crassum illud oleum opij, quod ita in minima neqveat dissolvi. Neqve tamen ideo inficiandum, efficaciores opij vires in oleo ejus hærere; est enim pæne totum oleum, paucis aqvæ & salis particulis comitatum, ut jam vidimus. Sed dum ignem patitur validiorem textura olei ejus non parum immutatur; ideoque in pharmaca convenientius recipitur vel crudum purius, vel paucis corrigentibus associatum, qvam post ignium labores. Sufficit ipsi nativus calor corporis ad faciendum officium.


§. 27.

Novissimè in volucrum genere olei illius opii vires explorare decretum. Igitur granum ejus dimidium in Scrupulo Spiritus Vini solutum, & columbæ ori ingestum non effecit, ut illa statim mortua concideret, sed vacillavit illico, & ultra horam vertigine correpta jam caput præceps egit, jam alterum latus, ebriæ similis; post leni vomitione spumosorum præmissâ inter reliquas sui generis consedit, discurritq;, à cibo tamen abstinentior; vitaq; convaluisse, post biduum exanimis inventa est. Pro vehiculo opii ideò electus freqventer vini spiritus, qvod promptius dissolvat, latiusq; didat vires ejus, qvam cæteri liqvores. Discimus autem ex his experimentis varia: 1. non esse necesse, hariolari amplius de elementis opii & papaveris, cum oculis se sistant. 2. vim ejus narcoticam non pendere ab ejusdem aqvâ, spiritu, sale, crassamento fixo, sed tamen reddiâ sale & spiritu actuosiorem. 3 oleum ejus, si

leni

Ieni calore evocetur, non fœtere, si alacriori, fœtere, sed & virium partem amittere. 4. ab oleo narcosin, sive vim soporiferam proficisci. 5. particulas olei ejus esse minutiores, quam aliorum oleorum, eoq; facilius ascendere. 6. ascendere autem naturaliter habitu albissimi vel vaporis, vel fumi, & proinde non posse *nigrore suo* (qvod Clariss: Viro in recentiori scripto persvasum) *spiritus animales opacare*, sed potius ad instar nebulæ perreptare corpus, & ubi inciderit in liqvores, eosdem nebulæ suæ involutos, qvantum licet, sistere, sive motum eorundem excitatiorem impedire. 7. Illud impedimentum in cerebro, sed & in ventriculo, & magnopere in motu pulmonum sentiri; ut reliqva hic transmittam.

FINIS.



Nobilissimo ac Celeberrimo

D. THOMÆ BARTHOLINO

Avunculo mellitissimo

Actis Medicis & Philosophicis rem Medicam illustranti.



Mellifer innumeris exercitus incubat herbis
Et varias Floræ depopulatur opes,
Omnia pervolitat, salices, thyma, lilia, calthas,
Narcissos, violas, pendula fila croci,
Ex variè mixtis mox qvinta essentia stillat
Et solitum stipat sedula nectar apis;

Non

Non dispar, si parva decet componere magnis,
Est, Vir summe, Tibi sedulitatis opus,
Qvicqvid enim callent artes vel pharmaca, lustras,
Qvicqvid & insoliti terra vel æqvor habet,
Toxica, monstra, herbas, frutices, animalia, succos,
Insolitos casus, corpora secta, rogos,
Omnia componis circùm undiq;, & undiq; jungis
Ac celebri stipas mellea scripta libro;
Explicat hic natura suos fugitiva recessus,
Explicat hic totos Dania tota sinus,
Aspicitur junctim qvodcunq; dat Indica Thetys,
Aspicitur tellus barbara qvicqvid alit,
Nodosam ad podagram glomeratæ vellera Moxæ
Contulit Eöis proximus Indus aqvis
Contulit & fibras ignoto nomine Nisi
Gens Chinæ; hæc mecum munera, dixit, habe.
Et velut extinctos aliorum suscitat ignes
Lux Tua, sic nostras ventilat illa faces,
Ergo Tibi & laceras fundunt mea scrinia chartas
Fluminaq; ingenii qvantulacunq; mei,
Non ego debueram saltem tot Numina Phœbi
Inter, & Heroum nomina tanta legi,
Raucus Amyclæ o malè succinit anser olori
Ad vada Mæandri dum sinuosa canit,
Nec bene Santonico miscetur purpura panno
Nec violis spinas implicuisse decet
Sed si nostra Tuis non exorabilis Actis
Inseris, & junctim sub Tua præla trahis,
Incipias limâ passim mordaciùs uti
Vel vitia effusis spongia mergat aqvis,
Sic qvos jungit amor, junget liber, unaq; laudis
Pars delata Tibi pars erit una mihi,
Atq; fatigatos ubi mors occludet ocellos
Et precibus flecti nescia dicet, obi,
Fama rogum effugiet nunqvam peritura, nec Acta
Deficient, animâ deficiente Tibi.

OLIG. JACOBÆUS.





